tiæ & Comes Hollandiæ, temporalis & naturalis Dnus Civitatis & Patriæ Trajectenſis intendit, & vult eoſdem ſub ſua tuitione, defenſione, & protectione recipere, & à quibuscunque violentiis præſervare, dummodo dictæ Cæ. Ma[tis]. tanquam Duci Brabantiæ & Comiti Hollandiæ Juramentum fidelitatis & homagium præſtare velint, Qui vero id facere recuſaverint, poterunt ſe libere infra triduum a civitate & Patria Trajectenſi divertere, Quodque nobilis & generoſus Dnus *Antonius* Comes de Hoochſtraten, tanquam Ambaſiator & Procurator dictæ Sereniſſimæ Cæ. Ma[tis]. & eo nomine recipere faceret ipſis Dnis Prælatis, Canonicis, & aliis Eccleſiaſticis perſonis Juramentum de defendendo, protegendo & præſervando eoſdem, ſua (3) relatione, ſic ut præmittitur facta, prænominati Dni Prælati & Canonici deſiderantes ſub tuitione, protectione, & defenſione Cæ. Ma[tis]. permanere, ſe ad hujuſmodi juramentum præſtandum paratos & benevolos obtulerunt, poſitiſque manibus Forma Jurandi eorum dextris, more ſacerdotum ad pectora, juraverunt, ac corporale fidelitatis juramentum præſtiterunt, & quilibet eorum juravit & præſtitit, prout in ſchedula per eundem *Laurentium* Audientiarium ibidem publicè, alta & intelligibili voce lectâ, & per eoſdem Prælatos & Canonicos repetita latius habetur & continetur, ſuus (4) tenor ſequitur de verbo ad verbum & eſt talis: (5) Wy Prælaeten ende Capitularen perſonen der vyffve Godshuyſen van *Utrecht* zweeren ende geloven op onze trouwe ende eere, den alrehoochſten, alredeurluchtichſten alrevermogenſte ende onverwinlicxſte Heere ende Furſt, Heere KAERLE van Goids genaden Roomſche Keyſer vyffte van dien name, Coninck van Spanien, van Napels, van Cecilien &c. Eertshertoge van Ooſtenrycke &c. Hertoge van Bourgoignen van Brabant &c. Grave van Holland, Zeeland, ende Vrieſland &c. in de qualiteyt als Hertoge van Brabant ende

ſtent Cæ. Maj. Juramentum.

Forma Juramenti quod præſtarunt Prælati & aliæ Eccleſiaſticæ perſonæ Cæ. Mati.

(3) *Sua.* Manifeſtus error. Legendum: *Qua*, uti V. de W.
(4) *Suus.* Et hîc quoque mendum. Lege: *cujus.* Ita V. de W.
(5) Hic remittit V. de Water ad p. 21. n. XV. Idem juramentum dedit Matth. de Nobil. p. 717. in init. Ipſum Inſtrumentum autem ſubjunxit huic & alteri juramento, loco jam citato.

ende Grave van Holland, en Heere vande Stadt, ende Steden, ende Landen van *Utrecht* [voor hem ende zyne nacommers, Hertogen ende Hertoginnen van Brabant, Graven ende Gravinnen van Holland, ende Heeren ende Vrouwen van de Stadt ende Steden van Utrecht,] (6) als onſen Erflandt-Furſt, Heere ende natuerlicke Prince, getrouwe, onderdanigh ende obedient weſen, ende in als voor hem getrouwelyck doen, ſoo als goede getrouwe ende rechtveerdige Prelaeten, Capitulaeren, ende geeſtelycke perſonen voor heuren Erflandt-Furſt, natuerlick weerlick Heere ende Prince ſchuldich zyn ende behooren te doen, Soo moet ons God helpen ende alle zyn Heyligen. QUOD QUIDEM Juramentum prænominati Prælati, & Canonici Capitulares ibidem realiter & effectualiter cum debita ſolemnitate præſtiterunt. Quapropter præfatus nobilis & generoſus Dnus *Antonius de Lalaing*, Comes, & Procurator, Ambaſiator, & locum-tenens Cæ. Ma[tis]. & eo nomine iterum eiſdem Prælatis & Canonicis præſtitit juramentum prout in ſchedulâ per memoratum Dnum *Laurentium* Andientiarium ibidem lectâ in hunc ſequitur modum: (7) WY ANTONIS VAN LALAING als Procuratoer van ons aldergenadighſte Heere, ende Prince, Heere KAERLE van Goids genaden Roomſche Keyſer van dien name (8) &c. Hertoge van Brabant, Grave van Holland, ende Heere van de Stadt, ende Steden, en Landen van *Utrecht*, gelove ende zweere inden naem ende van wegen zyne voorſz. Ma[t]. voor hem ende zyn Nacommers, Hertogen ende Hertoginnen van Brabant, Graven ende Gravinnen van Holland, Heeren ende Vrouwen van de Stadt, Steden, ende Landen van *Utrecht*, dat zyn K. Ma[t]. in de qualiteyt als voor, de vyff Godshuyſen binnen *Utrecht*, den Prelaten ende Capitulaeren perſonen der zelver, van allen overlaſten ende gewalt beſchermen ende preſerveren zullen (9) ende heuren privilegien, rechten ende Coſtuymen, vanden welcken

Juramentum quod Cæſar præſtitit per Procuratorem quinque Eccleſiis & earum Prælatis & Canonicis.

Defenſio. Con-

(6) Quæ hic duobus uncinis incluſi, omiſſa ſunt apud A. Matthæum, & in Edictis quoque Ord. Ultraj.

(7) Apud Van de Water p. 21. n. XVI. apud A. Matth. l. c.

(8) Supple: *de vyfde.* prout apud utrumque legis.

(9) *Zullen.* Male. Uterque legit: *zal.* Et bene.

ken zy deuchdelycke gebruyckt ende geuſeert hebben, onderhouden, ende voorts die ſelve tracteren, ende voor hem doen, zoo een goet ende vroom Erflandtfurſt, Heere, ende natuurlyck Prince, voor zyn goede ende getrouwe Onderzaten, behoort ende ſchuldich es te doen; QUO QUIDEM Juramento ſic ut præfertur præſtito, prænominati nobilis & generoſus Dnus Comes ex parte Cæ. Ma^tis^. ex unâ, & Prælati & Canonici Caplares ex alia partibus, petierunt a nobis Notariis infraſcriptis, ipſis repectivè fieri & confici unum ſeu plura publicum vel publica Inſtrumentum & Inſtrumenta. Acta ſunt hæc in Domo Capitulari antedicta, ſub anno, Indictione, menſe, die, hora, & Pontificatu ſuperius deſcriptis. Præſentibus ibidem nobilibus, validis, ſtrenuis, ac circumſpectis viris & Dominis, Dno *Gerardo*, Dno de Aſſendelft, & de Emskerck milite, primo & ordinario Præſidente (10) & Magro *Jodoco de Zasboud* utriuſque Juris Doctore, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter atque rogatis. (11) IN-

ſervatio privilegiorum.

(10) *Præſidente.* Ambo hic legunt vitioſe: *Reſidenti.* Fuit enim præſes ſenatus Hollandici in Haga Comitis. Audi Leuwium in Bat. illuſtr. pag. 1469. ,, de Heer en Meeſter Gerard ,, van Aſſendelft, Ridder, Præſident van den Hove, of eerſte ,, Raed Preſiderende, anno 1519. en 1528. welken ſtaat hy ,, lange jaren bedient heeft, en ſtierf in ſyn Huyſinge in den ,, Hage, op S^t^. Nicolaas-avont anno 1558. out ſynde 70. Ja- ,, ren, begraven in ſyn Capelle in de Parochiekerk aldaer.

(11) Huic *Inſtrumento* deeſt in codice noſtro ſubſcriptio Notariorum, quam ex Edictis Ultrajectinis pag. 20. col. 2. exhibeo, & quæ apud A. Matthæum pariter deſideratur.

,, Sic ſubſcriptum & ſignatum. Et ego *Wilhelmus* filius ,, *Johannis de Trajecto ſuperiori*, clericus Leodienſis Dioceſis, pu- ,, blicus ſacris Apoſtolica & Imperiali auctoritatibus Notarius, ,, ac Venerabilium Dominorum Decani & Capituli Eccleſiæ ,, Trajectenſis ſcriba juratus, quia præmiſſis omnibus & ſingu- ,, lis, dum ſic agerentur & fierent, una cum honorabili Viro ,, Domino *Theodorico de Malſen* etiam Notario, ac teſtibus præ- ,, nominatis præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi, ,, ideo hoc præſens publicum inſtrumentum una cum dicto ,, & infraſcripto Notario exinde confeci, publicavi, & in hanc ,, publicam formam redegi; & idem inſtrumentum ſic publi-

 ,, cavi

INSTRUMENTUM XV. (1)

Forma mandati Prælatorum & Capitulorum quinque Eccleſiarum in Imperatorem facti, & conſenſus de non eligendo Epiſcopum niſi qui per Imperatorem nominatus fuerit, & de non eligendo Decanos niſi ſint Imperatori grati & accepti.

Mandatum Prælatorum & Canonicorum quinque Eccleſiarum Traject. ad petendum confirmatio.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Noverint univerſi præſens publicum Inſtrumentum inſpecturi, Quod anno Nativitatis Dn̄i Milleſimo quingenteſimo viceſimo nono, Indictione ſecunda, die vero xxj^{a}. menſis Januarii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Dn̄i noſtri, Dn̄i CLEMENTIS divina providentia Papæ ſeptimi anno ſexto, Venerabiles & egregii Dn̄i Prælati, Canonici & Capitula quinque Eccleſiarum Trajectenſium, Majoris, Sancti Salvatoris, Sancti Petri, Sancti Johannis, & Beatæ Mariæ, videlicet *Johannes Slacheck* Præpoſitus Beatæ Mariæ, *Gerardus Zuggeroede* Sancti Salva-

,, cavi de manu alterius fideliter ſcriptum, manu, ſigno, &
,, nomine meis ſolitis & conſuetis una cum eodem infraſcripto
,, Notario ſignavi & ſubſcripſi in fidem & teſtimonium omnium
,, & ſingulorum præmiſſorum vocatus & requiſitus. *W. de*
,, *Trajecto* S. Notarius. Et ego *Theodoricus de Malſen*, Clericus
,, Trajectenſis publicus Sacra Imperiali auctoritate Notarius,
,, quia præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic ut præmittitur
,, agerentur, & fierent, una cum honorabili viro Magiſtro
,, *Wilhelmo* Notario, ac teſtibus prænominatis præſens inter-
,, fui, eaque ſic fieri vidi & audivi, ideo præſens publicum
,, inſtrumentum una cum ſupraſcripto Notario, manu alte-
,, rius, me interim aliunde legitime pæpedito, fideliter ſcri-
,, ptum exinde confeci, publicavi, & in hanc publicam for-
,, mam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis
,, ſignavi vocatus & requiſitus, in fidem & teſtimonium om-
,, nium & ſingulorum præmiſſorum. *Theodor. de Malſen*, No-
,, tarius.

(1) Exſtat inter Edicta Ordd. Ultraject. tom. 1. p. 25. & apud A. Matth. de Nobil. p. 789.

Salvatoris, *Georgius de Zolins* Sancti Petri, & *Thomas de Niekercken* Sancti Johannis reſpective Decani, *Bernardus de Harlem* Vice-Decanus Majoris, *Johannes Vos*, *Theodoricus Liverjan*, *Bartholomæus Knyf*, *Antonius Buſer*, *Johannes de Drolshagen*, *Henricus Zoudenbalch*, *Arnoldus Buſer*, *Theodoricus Taets*, *Johannes de Medenblick*, *Adrianus Zael*, *Johannes de Angeren*, *Conrardus ten Buſch*, *Henricus Ben*, (2) *Arnoldus Knoep*, *Johannes Real*, *Jacobus Dedel*, *Antonius Huges*, *Guilhelmus de Lochorſt*, *Wilhelmus Taets*, *Johannes Waldariam*, *Franciſcus Zonck*, *Adrianus Ram*, *Jacobus de Medenblick*, *Cornelius Wteneng*, *Jacobus de Leeuwen*, *Johannes Antonii*, *Gerardus Coemans*, *Johannes de Veno & Antonius de Amerongen*, Canonici reſpectivè earundem quinque Eccleſiarum Capitulum generale earundem repræſentantes & facientes, in majori Domo Capitulari majoris Eccleſiæ Trajectenſis gnāli Capitulo ad infraſcripta peragenda ſpecialiter, ut moris eſt, convocato & indicto, de mane hora Capitulari conſuetâ, in noſtrorum Notariorum publicorum teſtiumque infraſcriptorum ad hoc vocatorum ſpecialiter & rogatorum præſentiâ, ſponte & liberè, matura deliberatione præhabitâ, fecerunt, conſtituerunt, crearunt, & ſolemniter ordinarunt ſuos veros, certos, legitimos, indubitatos ſyndicos & Procuratores, actores, factores, negotiorumque ſuorum infraſcriptorum geſtores ac nuncios ſpeciales & generales: Ita tamen quod ſpecialitas generalitati non deroget, nec econtra, videlicet R^mos^. in Chriſto Patres & Dn̄os, venerabiles quoque & egregios viros, *Laurentium* Cardinalem quatuor Coronatorum, (3) *Andream* Cardinalem *de Valle*, (4) *Wilhelmum* Cardinalem Derthuſienſem (5) *An-*

nem a Papa ſuper tranſlatione temporalitatis, Item nominatione Ep̄orum & Decanorum Traject.

Nomina Procuratorum.

(2) *Ben.* Uterque ſcribit: *Beyer.*

(3) Is eſt *Laurentius Puccius* Florentinus, a Leone X. Cardinalis renuntiatus, qui obiit Romæ 1531. V. Ciaccon. tom. 3. col. 337.

(4) Erat Romanus, a Leone X. pariter Cardinalis creatus. Laudatur velut alter *Lælius*, ſapientia & judicio repletur. Obiit Romæ anno 1533. vel ut alii 1534. Vide Ciaccon. cit. col. 350.

(5) Nempe *Guilielmus ab Enckevort*, unicus, quem Adrianus VI. purpura cohoneſtavit, qui etiam fuit Epiſcopus Ultrajectinus, de quo vide in append. ad Hedam. Obiit Romæ anno 1534. Ejus epitaphium honorificum exhibet Ciaccon. cit. col. 442.

Antonium Epiſcopum Piſtorienſem (6) *Johannem Baptiſtam de Senis* Advocatum conſiſtorialem, *Johannem Slacheck* Præpoſitum Beatæ Mariæ Trajectenſis, *Hermannum Sculeman* (7) Decanum Sanctorum Apoſtolorum Colonienſem, & *Conrardum Renſem* Canonicum Daventrienſem; abſentes tanquam præſentes, & quemlibet eorum in ſolidum, ad ipſorum Dnorum conſtituentium nominibus, & pro eis coram præfato Sanctiſſimo Dno noſtro Papa Sanctaque ſede Apoſtolica ac R[mis]. Dnis Cardinalibus comparendum, & illis pro confirmatione & approbatione tranſlationis Civitatis & totius Patriæ Trajectenſis, quoad omnem temporalitatem & alias prout illam (8) Dnus R[mus]. in Chriſto Pater & Illuſtriſſimus Princeps *Henricus* Electus & Confirmatus Trajectenſis, ad uſum & utilitatem ſereniſſimi & invictiſſimi CAROLI Romanorum Imperatoris tanquam Ducis Brabantiæ & Comitis Hollandiæ, ejuſque in Ducatu Brabantiæ & Comitatu Hollandiæ hæredum & ſucceſſorum, fecit, nec non conſenſus per ipſos Dnos conſtituentes præſtiti de non eligendo de cætero Epiſcopum Trajectenſem, niſi qui eis per CAROLUM vel ejus hæredes & ſucceſſores prædictos nominatus fuerit, & Decanos dictorum Eccleſiarum, niſi qui eidem CAROLO ac hæredibus & ſucceſſoribus grati & accepti fuerint, humiliter ſupplicandum, eamque confirmationem & approbationem etiam cum decreto irritanti, & alias ut in meliori forma petendum & obtinendum,

(6) *Antonius Puccius* epiſcopus Piſtorienſis, eſt *Laurentii* Cardinalis *Puccii*, de quo ſupra, ex fratre nepos, ejuſque ſucceſſor in epiſcopatu Piſtorienſi. Apud Leonem X. Adrianum VI. & Clementem VII. PP. multum valuit, & huic ultimo fideliter adfuit & adhæſit in lugubri expilatione Romana ſub Borbonio, ita ut Papam in molem Hadrianam a Cæſareanis compulſum non deſeruerit, & inter illos fuerit præſules quos exercitui Cæſareo obſides tradidere, ubi eum vitæ periculum adiiſſe ſcribit Ughellus in Ital. Sac. tom. 3. col. 309. A Clemente VII. Cardinalis renuntiatus eſt ejuſdem tituli, cujus patruus *Laurentius*. Obiit anno 1544. Ejus epitaphium quære apud Ughell. cit.

(7) *Sculeman*. Ambo. *Scutman*.

(8) *Illam*. Apud utrumque. *Ille*. Neſcio quæ lectio melior.

dum, ac lras Aplicas deſuper expediendum, & expediri faciendum, & procurandum; & generaliter omnia & ſingula alia faciendum, dicendum, gerendum, exercendum, & procurandum, quæ in præmiſſis & circa ea neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet oportuna, etiamſi talia forent, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale quam præſentibus eſt expreſſum, & majora forent prænarratis. (9) Promittentes inſuper iidem Dni conſtituentes, ac juramento in manibus noſtrorum Notariorum publicorum infraſcriptorum, vice & nomine omnium & ſingulorum quorum intereſt, intererit, ſeu intereſſe poterit, quomodolibet in futurum, ſe ratum, gratum, ac firmum perpetuo habituros totum id & quicquid per dictos ſuos Syndicos & Procuratores aut eorum aliquem actum, dictum, factum, geſtum, vel procuratum fuerit in præmiſſis, ſeu aliquo præmiſſorum; Super quibus omnibus & ſingulis præfati Dni conſtituentes ſibi a nobis Notariis publicis infraſcriptis unum vel plura, publicum vel publica, fieri atque confici petierunt inſtrumentum & inſtrumenta. Acta ſunt hæc in Domo Capitulari antedicta ſub anno, indictione, die, menſe, hora, & Pontificatu, ſuperius deſcriptis. Præſentibus ibidem nobilibus, validis ac circumſpectis viris & Dnis Dno *Johanne de Derremonde*, Dno de Borvigal, locumtenente Cæ. Ma^tis^. in Civitate Trajectenſi, *Wilhelmo Turck*, Dno de Neyenrode, *Johanne de Culenborch* ſculteto civitatis Trajectenſis, *Lodovico de Marcha*, & Magiſtro *Cornelio Antonii* Cæ. Ma^tis^. Secretario teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter atque rogatis. (10)

IN-

(9) *Et majora forent prænarratis.* Hæc verba deſunt apud ambos, nec video, quid ad rem.

(10) Subſcriptio, quæ deeſt in Codice noſtro, & apud A. Matth. hæc eſt in Edictis Ordd. Ultraj. p. 25. col. 2.

„ Et ego *Johannes de Goch*, Clericus Colonienſis Dioceſis, „ publicus ſacris Apoſtolica & Imperiali auctoritatibus Nota- „ rius, ac Venerabilis Curiæ Archidiaconalis Trajectenſis cau- „ ſarum ſcriba juratus, quia præmiſſis conſtitutioni, ſupplica- „ tioni & ſtipulationi, cæteriſque præmiſſis, dum ſic ut præ- „ ſcribitur fierent & agerentur, una cum diſcreto viro *Wil-* „ *helmo* filio Johannis *de Trajecto Superiori*, Clerico Leodienſis

„ Dio-

INSTRUMENTUM. XVI.

SUPERSCRIPTIO. (1)

Venerabilibus, devotis, nobis dilectis, Prælatis & Capitulis quinque Eccleſiarum Trajectenſium,

Carolus divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus.

Litteræ Cæſa. Ma. ad Eccleſias

VEnerabiles, devoti, dilecti, Intelleximus tam per literas Dominæ & amitæ noſtræ chariſſimæ, quam per copiam tractatus veſtri cum noſtris Procuratoribus abſoluti & concluſi,

„ Diocefis, publico eiſdem Apoſtolica & Imperiali auctori-
„ tatibus Notario ſubſcripto, & teſtibus prænominatis, præ-
„ ſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi, ideo hoc præ-
„ ſens publicum inſtrumentum exinde confectum, manu al-
„ terius fideliter ſcriptum ſubſcripſi, publicavi, & in hanc
„ publicam formam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis
„ & conſuetis ſignavi vocatus & requiſitus, in fidem & veri-
„ tatis teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum, *Joan-*
„ *nes de Goch.*

„ Et ego *Wilhelmus* filius Johannis, *de Trajecto Superiori*, Cle-
„ ricus Leodienſis Diocefis, publicus, ſacris Apoſtolica &
„ Imperiali auctoritatibus Notarius, ac Venerabilium Domi-
„ norum, Decani & Capituli Eccleſiæ Trajectenſis ſcriba ju-
„ ratus, quia præmiſſis conſtitutioni, ſupplicationi & ſtipula-
„ tioni, cæteriſque præmiſſis, dum ut præſcribitur fierent &
„ agerentur, una cum honorabili Viro Domino Magiſtro *Jo-*
„ *hanne de Goch*, Clerico Colonienſis Diocefis, publico eiſdem
„ ſacris Apoſtolica & Imperiali auctoritatibus Notario ſub-
„ ſcripto, & teſtibus prænominatis, præſens interfui, eaque
„ ſic fieri vidi & audivi, ideo hoc præſens publicum inſtru-
„ mentum exinde confectum, manu alterius fideliter ſcriptum
„ ſubſcripſi, publicavi & in hanc publicam formam redegi,
„ ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis ſignavi voca-
„ tus & requiſitus, in fidem & teſtimonium omnium & ſingu-
„ lorum præmiſſorum. "

(1) Hæ litteræ Cæſaris ad Capitula, non reperiuntur inter Edicta Ordinum Ultrajectinorum, ſed eas attulit A. Matth. de Nobil. pag. 788.

cluſi, vos uno ore, unoque conſenſu admiſiſſe, ut Nobis tanquam Duci Brabantiæ & Hollandiæ Comiti, per Antiſtitem veſtrum cederetur & tranſportaretur civitas Trajectenſis unâ cum oppidis, caſtris, fortaliciis, cum omnibus ſuis munitionibus bellicis, omnique ſupellectili dictorum caſtrorum & fortalitiorum. Præterea omne Dominium & temporalis juriſdictio partium tam ſuperiorum quam inferiorum dicti Trajecti, prout in prædicta copia ejuſdem tractatus latius continetur. Nos igitur pro ſingulari veſtro, tamque propenſo in nos animo, non potuimus non clementiſſime affici, ingenteſque inde vobis & habemus & agimus gratias, vobis pollicentes, inſignem illam veſtram operam, quam in hoc officio nobis præſtitiſtis, nequaquam in immemorem & multo minus (2) ingratum Principem contuliſſe, ſummaque confidentia de nobis ſperare vos poſſe, quam pacis, vitæque tranquillæ ſpem concepiſtis. Datum in Civitate noſtra Toleti poſtridie Calendas Decembris Anno ſalutis humanæ Milleſimo quingenteſimo viceſimo octavo, ſubſcriptum: CHARLES. Et deinde ſic Lalemā ex. (3)

Trajectenſes.

Summaria marginalia hujus Tractatus conſcripſit Ampliſſimus & Nobiliſſimus Dominus, *Joannes vande Vorſt*, Dominus de Loonbeeck, Lovanienſis J. V. D. Decanus Eccleſiæ Metropolitanæ Ultrajectinæ, poſt ceſſionem *Amolii de Zuylen de Nyvelt* (qui ſupra folio 16. (4) intruſus vocatur, & ab *Hortenſio* annotatur lib. 2. fol. 33.) admiſſus anno 1529. cui defuncto viij Novemb. 1546. per electionem ſucceſſit 1549. *Adrianus de Reneſſe de Wulven.*

(2) *Ingratum.* Rectius apud Matth. *in ingratum.*
(3) Hæc ſubſcriptio mihi incognita, deeſt apud Matth. Heuſſenius in Bat. ſac. part. 1. fol. 244. col. 1. legit: *Lalemandus.*
(4) In Inſtrum. VII. noſtræ editionis. Porro de his Decanis vide Catalog. noſtr. Præpoſ. & Decanor. quinq. Eccleſ.

INSTRUMENTUM XVII. (1)

Clementis Papæ VII. Bulla confirmationis tranſlationis temporalitatis Eccleſiæ Ultrajectenſis in CAROLUM V. *Cæſarem tanquam Ducem Brabantiæ & Comitem Hollandiæ.*

CLEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI, ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex, ad quem ſicut omnium rerum ſpiritualium cura pertinet, ita bona quoque temporalia ad quaſcunque Eccleſias ſpectantia, ipſius ſunt diſpoſitionis, pro paſtorali officio ſibi demandato, ea aſſidue agit & meditatur, per quæ Eccleſiæ ipſæ, tam Cathedrales, quam Collegiatæ, & illarum Epiſcopi & Prælati quietè & tranquillè ac pacificè vivere poſſint. Et ſi quando contingit Epiſcopos & Prælatos ipſos à ſuis ſedibus & Eccleſiis violenter ejici & extrudi, & propterea ad ſæcularium Principum opem implorandum confugere, ipſorumque ſumptibus, viribus, & copiis, in priſtinas ſedes rurſus reponi & reſtitui, ac per eos in tantorum beneficiorum remunerationem bona ipſa temporalia & ſæcularem eorum Juriſdictionem iiſdem Principibus liberatoribus concedi, & in eos transferri, Pontifex ipſe tales conceſſiones & tranſlationes auctoritate Apoſtolica approbare & confirmare, ac de novo concedere conſuevit: ut eo ſcilicet pacto, & ipſarum Eccleſiarum incolumitati conſulatur, & earum Epiſcopi & Prælati, in quiete, tranquillitate & ſecuritate conſtituantur, prout id in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Sane licet a longis retroactis temporibus, ad omnes Epiſcopos Trajectenſes, qui pro tempore fuerunt, Dominium tam ſpirituale, quam ſæculare Eccleſiæ Trajectenſis, ac plurium oppidorum, locorum & caſtrorum tam in agro Trajectenſi, quam in partibus ſuperioribus patriæ Tranſyſſelanæ conſiſtentium, pleniſſimo jure pertinuerit: Nihilominus dilectus filius, Nobilis Vir, *Carolus* Dux Gelriæ, præter jus & fas primo bonæ memoriæ *Fredericum* Marchionem Badenſem olim Epiſcopum Trajectenſ. quod-

(1) Hæc Bulla eſt in Edictis Ordd. Ultraject. tom. 1. p. 26, & in append. Hiſtoriæ Ultraject. per *Lappium* publicatæ.

quoddam (2) ex ipſis oppidis manu armata ac militari ſpoliavit, illudque violenter occupavit, ad quod rurſus vindicandum, idem *Fredericus* Epiſcopus ingentes expenſas innumeroſque labores ſubire coactus fuit. Et deinde idem *Carolus* Dux, ſimilis memoriæ *Philippum de Burgundia* etiam Epiſcopum Trajectenſ. pluribus ex eiſdem caſtris & oppidis vi & armis ſpoliavit ſibique injuſte uſurpavit, pro quibus recuperandis, licet magni ſumptus a prænominatis Epiſcopis facti pecuniæque ingentes erogatæ fuerunt, tamen ea loca ſic occupata, in manibus & poteſtate ipſius Ducis *Caroli* permanſerunt uſque ad tempus, quo dilectus filius, *Henricus* Comes Palatinus & Dux Bavariæ in Epiſcopum Trajectenſem Electus, & electio hujuſmodi Apoſtolica forſan auctoritate confirmata extitit. Qui quidem *Henricus* Electus animadvertens quot damna & incommoda prædeceſſores ſui Epiſcopi Trajectenſes ſubierant, ut ea quoquo pacto reſarciret, ac paci, quieti, ſecuritatique ſuæ ac ſubditorum ſuorum conſuleret, talem concordiam ope & interventu venerabilis fratris noſtri Archiepiſcopi Treverenſis, cum eodem *Carolo* Duce iniverat, ut ipſe *Henricus* Electus, ei ſummam quinquaginta millium florenorum enumeraret, & quorundam Caſtrorum occupatorum uſumfructum ad ejus vitam dimitteret; quæ quidem caſtra eo defuncto rurſus ad Eccleſiam redirent, ſed ea lege, ſi proles legitima ex eo ſupereſſet, illi proli duntaxat quinquaginta milia florenorum perſolverentur, cætera vero caſtra ſic occupata ex tunc eidem *Henrico* Electo reſtitui deberent, prout mox etiam reſtituta fuerunt. Et quamvis dictus *Henricus* Electus, ea concordia ſic ſtabilita omnino ſperaret ſe deinceps ſumma in pace & tranquillitate unà cum ſubditis ſuis permanſurum, nihilominus ipſe *Carolus* Dux oblata occaſione quod idem *Henricus* Electus interim populari ſeditione fuerat repulſus, immemor fœderis & concordiæ hujuſmodi, Caſtra & Oppida patriæ Tranſyſſellanæ invadere, eaque obſidione premere veritus non fuit. Et cum Caſtrorum & Oppidorum prædictorum Conſules & Præfecti ad opem & auxilium implorandum ad dictum *Henricum* Electum confugiſſent, & ille utpote ex ſua civitate ejectus, opibus

(2) *Quoddam.* V. de W. male: *quodam.*

opibusque exutus, minimè opitulari, potuiſſet, quod reli-quum fuit eis, per literas ſuas ut a Capitaneo chariſſimi in Chriſto filii noſtri CAROLI Romanorum & Hiſpaniarum Regis Catholici in Imperatorem electi, qui Friſiæ præerat, auxilium depoſcerent, conceſſiſſet, & ipſum CAROLUM Regem, qui etiam Dux Brabantiæ & Comes Flandriæ & Hollandiæ exiſtit, in Dominum cognoſcerent, licentiam dediſſet, abſolvendo eos ab hommagio ſibi præſtito, ac juramentum fidelitatis eis relaxando, ac dicti Conſules ad hoc deputati, literarum earundem vigore, poſt quædam capitula cum ipſius CAROLI Regis miniſtris confecta inter cætera continentia, ut dictus CAROLUS Rex quamprimum exercitum inſtruere, ac bellum ipſi *Carolo* Duci inferre deberet, ſe ipſi CAROLO Regi dederunt & hommagium & juramentum fidelitatis, ejus tunc procuratori, præſtiterunt. Et cum interim populus Trajectenſis de Electo reſtituendo, &, ſi eis venia daretur, rurſus in Civitatem revocando pertractaſſet, Dux ipſe dolo & fraude quorundam ſeditioſorum allectus, Civitatem Trajectens. clandeſtinè occupavit, eamque hoſtiliter diripuit, & ut ſcelus ſceleri adjungeret, Eccleſias prophanare illarumque bona invadere & diripere ac auferre veritus non fuit: quinimo quæ ad divinum cultum erant deſtinata, ſacrilego conatu ademit atque uſurpavit. Propter quæ ipſe *Henricus* Electus, tot undique moleſtiis & ærumnis circumventus, ad dilectam in Chriſto filiam, nobilem mulierem, *Margaretam*, Archiduciſſam Auſtriæ, pro dicto CAROLO Rege in partibus Flandriæ gubernatricem, nec non ipſius CAROLI Regis in Ducatu Brabantiæ & Comitatu Hollandiæ Procuratorem confugere, & adverſus tam atrocem injuriam, horrida facinora, neceſſariam opem implorare, coactus fuit. Et cum dictam *Margaretam* ad id promptiſſimam inveniſſet, & mox certus dicti CAROLI Regis Capitaneus valido exercitu, magnis quidem ſumptibus coadunato, & ſub ſignis conſtituto, in Ducatu dicti *Caroli* Ducis impetum feciſſet, ac oppida ſub ipſo Duce violenter occupata recuperaſſet, & ipſum *Henricum* Electum in ſua Civitate, a qua ejectus fuerat, reſtituiſſet, præfatus *Henricus* Electus, tot calamitatibus ope ipſius CAROLI Regis tandem liberatus, animadvertens, ſe, & Civitatem ipſam, ac tot caſtra & oppida & muni-

municipia ad ſuam Eccleſiam Trajectens. ſpectantia, non ſine magna impenſa, ſibique intolerabili, diutius retinere, nec de expenſis, pro exercitu in ejus defenſionem & ſubſidio (3) comparato factis, præfato CAROLO Regi ſatisfacere poſſe, ac cupiens dicto CAROLO Regi, ob tot in ſe collata beneficia, gratiam aliquam referre, & demum ſuorum ſubditorum quieti & tranquillitati ac ſecuritati conſulere, eaſque ab imminentibus periculis & futuris incommodis præſervare, ex præmiſſis, & aliis non minoris momenti cauſis, Civitatem ipſam, ac Oppida, Caſtra, Municipia, & loca partis inferioris Trajectenſis ad ipſum *Henricum* Electum, ſuaſque ſucceſſores Epiſcopos Trajectenſes, ac menſam Epiſcopalem Trajectenſem, legitime ſpectantia, cum illorum machinis, tormentis, bombardis, ac omnibus & ſingulis juribus & pertinentiis, juriſdictione, temporali, nec non Vaſallis, Officiariis, ſubditis, & incolis ſuis, in ipſum CAROLUM Regem tranſtulit & transfudit, ac omnes exciſias, cenſus, reditus, emphiteoſes, terras, paſcua, Decimas, Vineas, Sylvas, Jura Patronatus tam laicalia quam caſtralia, nec non omnia thelonia, & theloneorum jura, ſtudia (4) Vaſallagia, Dominia, &, ut vulgo dicunt, altas, medias, & baſſas Juriſdictiones, & demum omnem temporalem & ſæcularem juriſdictionem, aliaque ſervitia, & jura quæcunque ad eum (5) ratione dictæ Eccleſiæ Trajectens in Civitate, Oppidis, Caſtris, fortalitiis, terris, locis, Dominiis, & utrâque patriâ, tam Tranſyſſellana quam Cyſyſſellana prædictis, quomodolibet ſpectabant & pertinebant, cum omnibus & ſingulis eorum pertinentiis & appendentiis, ac libris feudorum & redituum, chartis, regiſtris, computis, & aliis ſcripturis præmiſſa concernentibus, præfato CAROLO Regi, tanquam Brabantiæ Duci & Hollandiæ Comiti, pro ſe & ſucceſſoribus Ducibus Brabantiæ & Comitibus Hollandiæ, ſeu ejus tunc legitimo procuratori, ſub ſedis Apoſtolicæ beneplaa-

(3) *Subſidio.* V. de W. *ſubſidium.* Et recte, quantumvis Lappius in append. cit. legat: *ſubſidio.*

(4) *Studia.* V. de W. *feuda.* Lappius prout in eod. noſtro; ſed male.

(5) *Quæcumque ad eum.* V. de W. *quæcumque, quæ.* Tò quæ abundat. Lappius legit, uti nos.

neplacito, conceſſit & donavit, ac in eum tranſtulit. Nec non, omnes & ſingulos Vaſallos, Officiales, ſubditos & incolas prædictos, a juramento fidelitatis & alia quacunque obligatione qua ſibi & (6) Dn̄o temporali tenebantur, abſolvit. Eiſque, ut a præfato CAROLO Rege extunc de cætero auxilium implorare, illique ac hæredibus & ſucceſſoribus, tanquam Ducibus Brabantiæ & Comitibus Hollandiæ, homagium & juramentum fidelitatis præſtare valerent, liberam licentiam expreſſe conceſſit, reſervata ſibi, ac ſucceſſoribus ſuis Epiſcopis Trajectenſibus, ſola juriſdictione ſpirituali per Civitatem prædictam, & Dioecefim Trajectenſem, unà cum Domo ſua Epiſcopali in eadem Civitate conſiſtente, & una alia domo extra dictam Civitatem in Dioeceſi ſua Trajectenſi ſita, in qua ipſe & ſucceſſores ſui Epiſcopi Trajectenſes cum ſua familia, quietis & otii gratia, conſidere poſſent. Sic tamen quod ipſe CAROLUS Rex *Henrico* Electo & ſucceſſoribus prædictis, nomine annuæ penſionis duorum millium caroleorum aureorum pro dote ejuſdem Eccleſiæ perſolveret, ac præmiſſa omnia acta & conſtituta ſint (7) cum ſcitu & expreſſo conſenſu dilectorum filiorum Præpoſitorum, Decanorum, & Capitulorum prædictæ Majoris, & Collegiatarum, Sancti Salvatoris, Sancti Petri, Sancti Johannis, & Beatæ Mariæ, Trajectenſum Eccleſiarum, qui habita matura conſultatione, diligentique examine, ea omnia approbarunt & rata firmaque & ſtabilia eſſe voluerunt, ipſique Præpoſiti, Decani, Capitulaque, qui tempore quo præfatus *Henricus* Electus conſulibus & deputatis patriæ Ciſyllanæ hujusmodi per ſuas literas conceſſerat, facultatemque tribuerat, ut dictum CAROLUM Regem in Dominum recognoſcerent, ac illi homagium & fidelitatis juramentum præſtare poſſent, a Civitate erant expulſi, nec in loco Capitulari ſimul convenire, & conſultare poterant, jam tunc de præmiſſis omnibus, quæ tunc temporis peracta fuerant, plenam notitiam habentes, matura cum deliberatione debitiſque & conſuetis tractatibus præmiſſis, omnia per *Henricum* Electum, ac Conſules & Deputatos caſtrorum patriæ Tranſyſſellanæ, vigore

(6) *Et Dn̄o temporali.* V. de W. melius: *ut Dn̄o temporali.* Lappius habet: *&* &c.

(7) *Sint.* Ita quoque Lappius. V. de W. *ſunt.* Quod aliam habet ſignificationem.

vigore literarum *Henrici* Electi eis conceſſarum, geſta & facta, in omnibus & per omnia approbarunt & ratificarunt. Et inſuper iidem Præpoſiti Decani & Capitula planè conſiderantes id, quod multis experimentis didicerant, propter electiones Epiſcoporum in diſcordia factas, cum alii alio traherent, & ſuis quiſque factionibus inhæreret, Civitatem, univerſumque populum atque etiam ipſosmet in tot ærumnis & calamitatibus frequenter incidiſſe, ne quid tale deinceps eveniret, ultro ac ſponte eidem Carolo Regi, tanquam Duci Brabantiæ & Comiti Hollandiæ, conceſſerunt, ut quoties contingeret Eccleſiam Trajectenſem carere Paſtore, nullius in eorum Epiſcopum elegendi jus vel poteſtatem haberent, præterquam illius, quem dictus Carolus Rex, ut Dux Brabantiæ & Comes Hollandiæ, ſignificandum, inſinuandum, nominandumque duceret. Adjicientes etiam, ut nullus in Decanum alicui ex quinque eccleſiis antedictis præficeretur, niſi qui ipſi Carolo Regi gratus & acceptus foret, & cum tunc Procuratori (8) dicti Caroli Regis præmiſſa omnia approbaſſet, acceptaſſet, & rata habuiſſet, ipſi Præpoſiti & Decani tam Procuratorem quam *Henricum* Electum præfatos ad majorem Eccleſiam comitati ſunt, & ibidem Procuratorem in tabernaculo decenter ornato collocarunt, Epiſcopo, & nonnullis Præpoſitis, ac Decanis earumdem Eccleſiarum, in ſuo quiſque ſtallo, ut moris eſt, conſtitutis, & deinde hymno *Te Deum Laudamus* alta voce, jucundè & alacriter decantando, ac miſſa ſolemni a quodam Epiſcopo celebrata, rurſus *Henricum* Electum & Procuratorem præfatos ad Domum Epiſcopalem comitati ſunt, Electoque ibidem relicto, mox dictus Procurator, Prælatis & nobilibus pleriſque comitantibus, ad publicum urbis Palatium ſe contulit, atque inde ad domum privatam cujuſdam civis ſatis magnificè inſtructam divertit, pulſataque campana, ad cujus ſonitum populus in unum convenire ſolet, Nobilibus aliiſque dictæ Civitatis ordinibus in conſpectu ejuſdem Pro-

(8) *Et eum tunc procuratori.* Conſonat Lappius. Hic certe eſt mendum, & legendum prout apud V. de W. *& cùm tunc procurator.*

Procuratoris aggregatis, perfectaque juramenti formula, quod in communi dicto CAROLO Regi erant præſtituri, Populus univerſus, denudato cujuſque capite, duobuſque digitis dexteræ manus ſurſum erectis, juxta morem qui jurejurando inibi obſervatur, ſolemne juramentum præſtiterunt, & viciſſim dictus Procurator ipſius CAROLI Regis nomine, honeſte, beneque tractare, & ab ingruentibus malis & periculis protegere, & tueri, ac in omnibus boni, clementiſque Domini officio fungi, promiſit & ad ea obſervanda jurejurando ſe aſtrinxit. Quæ omnia tam *Henricus* Electus, quam Capitula præfati, præponi fecerunt in conſiſtorio noſtro, coram Nobis petentes, ea, ut ſtabiliora ſint ac plus roboris & firmitatis obtineant, Apoſtolica auctoritate approbari, & confirmari, ac de novo concedi. NOS IGITUR, habita ſuper his cum venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus matura deliberatione, & diſcuſſione, Electum & ſingulares perſonas Capitulorum hujusmodi a quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, de eorundem fratrum conſilio & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, tranſlationem temporalis Juriſdictionis, Civitatis, Caſtrorum & Oppidorum, tam Patriæ Tranſyſſellanæ ſuperioris, quam Patriæ Trajectenſis inferioris, ac aliorum jurium prædictorum, in ipſum CAROLUM Regem, tanquam Ducem Brabantiæ & Comitem Hollandiæ, ac illorum donationem, ac alia per eundem *Henricum* Electum, de eorundem Capitulorum conſenſu facta, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus & confirmamus. Præterquam quoad caſſationem penſionis in eventum unionis menſæ Epiſcopalis Trajectenſis (9) beneficiorum Eccleſiaſticorum valoris dictæ pen-

(9) *Menſæ Epiſcopalis Trajectenſis.* Lappius ita quoque, ſed non recte. Lege uti apud V. de W. *menſæ Epiſcopali Trajectenſi.*

penſionis, ſupplentes omnes & ſingulos tam juris quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eisdem, ac potiori pro cautela, Civitatem & Caſtra, ac alia jura prædicta, eidem CAROLO Regi, & ſucceſſoribus ſuis, Ducibus Brabantiæ & Comitibus Hollandiæ, in perpetuum de novo concedimus, & electiones per Capitula ipſa in Epiſcopum Traject. abſque ipſius CAROLI Regis, & ſucceſſorum ſuorum Ducum Brabantiæ & Comitum Hollandiæ prædictorum nominatione, nec non electiones Decanorum eccleſiarum hujusmodi, illorum Decanatuum occurrente vacatione, de aliis perſonis quam CAROLO Regi, & ejus ſucceſſoribus præfatis, gratis & acceptis, pro tempore factas, nullas, nulliuſque roboris, vel momenti exiſtere, eâdem auctoritate decernimus. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopo Panormitano (10) & Epiſcopo Caſtelli maris

(10) *Archiepiſcopo Panormitano.* Joannes Carondelet hic deſignatur, qui caput & præſes erat Conſilii Privati Cæſaris *Caroli* V. Bruxellis, de quo *Chriſtinæus* in libell. *Tomb. des hom. Illuſtr. du Conſeil Privé*, hæc habet: „ M. Jean Carondelet „ eſtoit fils de M. Jean, Seign. de Champuans, grand Chan„ celier de Bourgogne, & de Dame Marguerite de Chaſſey. „ Il avoit eſté Conſeiller Eccleſiaſtique du Grand Conſeil, & „ mourut en l'an 1544. enterré au Cheur de l'Egliſe Cathe„ drale de S. Donas à Bruges, ou ſe voit ſon Tombeau de „ marbre, ſur lequel eſt repreſenté ſon effigie priante, avec „ ſes Armes & Quartiers. " *Addere debuiſſet:* & avec cet epitaphe, *ſequitur enim his verbis:*

Reverendiſſimus Dominus
D. JOANNES CARONDELET
Archiep. Panormitanus, Primas
Siciliæ, Præpoſitus Sancti Donatiani
Brugenſis, Cancellar. Fland. Perp.
Decanus Metropolitanæ Biſcentinæ,
Abbas Commend. B. Mariæ
Montis Benedicti.
Præpoſitus S. Walburgis Furnenſis,
Et S. Piati Siclinienſis.
Caroli V. Rom. Imp. Aug. Secreti,

 Alio-

ris (11) ac dilecto filio Decano Eccleſiæ S. Lebuini Daventrienſis (12) Traject. Dioeces. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium ſeu alios, CAROLO Regi & ſucceſſoribus ſuis prædictis, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes literas & in eis contenta hujusmodi firmiter obſervari, ac ſingulos, quos literæ ipſæ concernunt, illis pacificè frui & gaudere: non permittentes eos deſuper contra præſentium tenorem quomodolibet moleſtari, inquietari, aut perturbari, contradictores auctoritate noſtra per-

Aliorumq. Conſiliorum in Belgica
Præſes Primarius.
Humanæ fragilitatis memor
Ipſe ſibi poſuit.
Obiit VII. Februarii anno a Chriſto nato
MDXLIV. ætatis LXXV.

Lappius in notis prolixioribus ad *Hortenſium*, eosdem hos præſulis titulos enarrat verbis ſuis, & alio ordine, ac ſubdit breve elogium *Carondeleti* ex eod. *Hortenſio*: „ *Homo prudentia cum pari* „ *eruditione conjuncta clarus.* " Cui non vacat Brugas excurrere ad contemplandum ejus effigiem marmoream, quam *Chriſtinæus* promittit, adeat Bibliothecam Belgicam Valerii Andreæ, noviſſimæ editionis, ubi reperiet eam æri inciſam tam eleganter, ut marmoream intueri non curet.

(11) *Epiſcopo Caſtelli maris.* Caſtellum maris, alio nomine, Stabiæ, eſt urbs epiſcopalis in regno Neapolitano ſub Archiepiſcopatu Surrentino. Epiſcopus, de quo hic, eſt *Petrus Flores*, Hiſpanus, anno 1510. ſedi Stabienſi ſeu Caſtelli maris præfectus, & tranſlatus ad Eccleſiam Cajetanam (vulgo *Gaietta*) anno 1536 vel 1537. ut eſt apud Ughell. Ital. ſac. tom. 1. col. 544. & tom. 6. col. 662. Variis muneribus functus obiit 3. Maji 1540. Conſule, ſi lubet, Biblioth. Hiſpan. Nicolai Antonii tom. 2. pag. 154.

(12) *Decanus Eccleſiæ S. Lebuini Daventrienſis*, eſt idem Joannes Slacheck, qui Romam profectus eſt pro impetranda hac Confirmatione a Papa, de quo dixi ſup. ad Inſtrum. XIII. n. 5.

per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſitâ compeſcendo: non obſtantibus fel: record: PAULI Papæ ſecundi prædeceſſoris noſtri, & quibusvis aliis Apoſtolicis etiam in Conciliis generalibus editis, etiam ſimiles approbationes fieri prohibentibus, conſtitutionibus; nec non Majoris, & Eccleſiarum aliarum prædictarum juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque & indultis Apoſtolicis (13) Epiſcopo Trajectenſi pro tempore exiſtenti, & dictarum Eccleſiarum Capitulis ſub quibuſcumque tenoribus & formis conceſſis, approbatis & renovatis (14): quibus omnibus, tenores illorum præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis, aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus, communiter vel diviſim ab eadem ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac (15) de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, conceſſionis, decreti, mandati & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis DEI, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum: Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dñi Milleſimo quingenteſimo viceſimo nono, tertio decimo Calendas Septembris Pontificatus noſtri anno ſexto. Sic ſcriptum ſupra

(13) *Apoſtolicis.* Hæc vox abeſt ab editione V. de W. Lappius eam retinuit.

(14) *Renovatis.* Ambo legunt: *innovatis.*

(15) *Ac de verbo ad verbum.* Ita quoque Lappius. V. de W. male: *ad de verbo ad verbum.*

pra plicam. *A. de Caſtillo.* Et ſupra dorſum erant ſcripta verba ſequentia, Regiſtr. in Cancellaria Apoſtolica: *de Cæſis.* (16) Sigillata

(16) Hic concordat Lappius. Sed V. de W. poſt nomen: *De Cæſis.* addit: *ſub plica juxta ſigillum erat ſcriptum. A. de Vallar.* &c.

Et ita quidem conſummata fuit ceſſio ditionis ſecularis provinciæ Ultrajectinæ univerſæ, eaque ceſſit *Carolo* V. Imp. ejusque hæredibus ac ſucceſſoribus Ducibus & Duciſſis Brabantiæ futuris. Memorabile ſane negotium, circumſpecte tractatum hinc & inde. A. Matthæus hanc alienationem concoquere non potuit, & variis locis lucubrationum ſuarum quærimoniam de ea habet. Attollit porro vocem in Notis ſuis ad Rer. Amersf. ſcript. ubi pag. 354. ita aſſurgit: „ Proceſſit ceſſio, „ ſed proceſſit contra omnem æquitatem, contra leges, con- „ tra jus, & majorum inſtituta, in quæ initio Epiſcopatus, „ ſe (*Henricus*) ſancto hæc ſervaturum jurejurando adactus. „ Immobilium alienatio, ut non dicam de diœceſi, prorſus ei „ interdicta. Diſerte enim in ſacramento: *Res Eccleſiæ & quaſ-* „ *cumque poſſeſſiones a prædeceſſoribus meis ad me devolutas nullate-* „ *nus alienabo. Caſtra quoque ſeu munitiones Eccleſiæ meæ Trajecten-* „ *ſis, quæ de præſenti exiſtunt, aut impoſterum fient, non alienabo* „ *aut impignorabo, ſeu debitis gravabo, vel directe, vel indirecte.* " Quid tum poſtea? Ergo hæc ceſſio proceſſit contra omnem æquitatem, contra leges, contra jus, & contra promiſſionem juramento firmatam? Non aſſentior. Mihi quidem, bene an male fecerit *Henricus* Bavarus, laborandum non eſt. Nec curandum fuerat Antonio Matthæo quantumvis Ultrajectino. Acta res eſt, & peracta. Et cujus fuit de ea judicare, is nihil reperit, quod contra æquitatem, contra leges, contra jus, & contra promiſſionem juramento firmatam, actum eſſet. Et cui bono tanti clamores, poſt duorum fere ſeculorum lapſum, dum ille ſcriberet? Nolo hæc pede preſſo refutare. Subeat oculos & intellectum axioma illud generale ab omnibus adoptatum ſcriptoribus, nimirum hæc clauſula: Rebus sic Stantibus. Hæc clauſula, velut tacita conditio, ineſt omni hominum diſpoſitioni, quæ, ut docet Barboſa de Claus. uſu frequent. Claus. 129. n. 2. *regulariter intelligitur in quacumque diſpoſitione, obligatione, & promiſſione, vel pacto, etiam juramento firmatis . . . . & importat . . . . ac ſi dictum fuiſſet,* Dummodo res in eodem statu permaneat . . . . *unde promiſſio debet intelligi ſecundum terminum, & ſtatum qui tempore promiſſionis vigebat . . . . Nam quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio . . . .*

quod

Sigillata ſigillo aureo appenſo cordulæ ſericæ coloris rubei & crocei.

INSTRU-

quod procedit, quando nova cauſa juſta ſupervenit, quæ principio non fuit cognita. Ita ille poſt longum Doctorum agmen. Quæro ego, an res Ultrajectinæ *in eodem ſtatu* permanſere ſub Bavaro? An in eo, *qui tempore promiſſionis vigebat?* An nihil de novo emerſit, quod *novo* apud Ultrajectenſes *indigebat auxilio?* An non ſupervenit *nova cauſa, principio non cognita?* An hæc demum cauſa, *juſta* non fuit, ut cenſerentur Reſpublicæ Ultrajectinæ amplius Stare non posse? An his omnibus refragabitur, ex ſolo patriæ amore & commiſeratione, qui hos omnes tractatus aut certe præcipuos, vidit, inſpexit, longa meditatione pervolvit, commentatus eſt, ac typis vulgavit? An juris canonici peritus, oblivifci potuit notiſſimi juris ſcripti in *Cap. ut ſuper. De reb. Eccl. alien. vel non.* ubi poſſeſſiones, quæ Eccleſiæ minus ſunt utiles, pro aliis utilioribus alienandi (ſervatis ſervandis) libera conceditur facultas? Si res minus utiles licet alienare, eritne contra omnem æquitatem, contra leges, contra jus & abjicere a ſe rem fractam, peſſumdatam, damnoſam, imo perditam, & quæ, ſi eam ſerves, in præcipitem te ruinam det? Quid enim aliud edicunt, declarant, & conteſtando denuntiant, Epiſcopus, Clerus, Magiſtratus? Hi omnes hanc alienationem conſtituerunt, non ſolus *Henricus.* Jus ſcriptum requirit eorum, quorum intereſt, conſilium & aſſenſum. An non intervenit? Sed nemo hiſcere eſt auſus, inquit Matth. Nempe, ſi vixiſſet initio ſeculi decimi ſexti, ipſe Clerum, populumque cohibuiſſet ab iniquitate & injuria, & Papam a confirmatione injuſtitiæ. Et hæc ejus querela placere potuit Heuſſenio, qui eam fideliter deſcripſit in Bat. ſac. part. 1. fol. 244. col. 2. ubi A Matthæo pie credidit. Ejus gloſſator Henr. van Ryn tom. 1. p. 336. n. 11. epiſcopum excuſans, dubia quædam proponit quæ excuti non merentur.

Hortenſius lib. 7. Rer. Ultraj. pag. 172. in fine ſcribit: „ Epiſcopum dementiæ ſuæ pœnituiſſe poſtea, certa argumen- „ ta habeo. Doreſtato diſceſſurus, cum in ſuperam Germa- „ niam iter rurſum adornaret, ſæpe apud familiares in lachry- „ mas effuſus, paucorum, quos fidiſſimos ſibi crediderat, & „ conſilio & verborum diſerto lenocinio ſe epiſcopatu exci- „ diſſe, querebatur: diras in eorum capita execrans, ut ipſi „ aliquando perfidiæ ſuæ ultrices furias invenirent. Intellexit „ tum, demum hos ſibi & epiſcopatui fatales conſultores da- „ tos fuiſſe. “ Ita ille. Non denego idem Hortenſio, ſed

vereor

INSTRUMENTUM XVIII. (1)

Breve S. D. N. Clementis Papæ VII. ad Imperatorem de negotio ſtatuque Eccleſiæ Trajectenſis.

CHariſſime in Chriſto fili ſalutem. (2) Incumbente nobis ſollicitudine omnium Eccleſiarum, non poſſumus non eſſe

vereor ne ſit nimius in depingendo præſulis tædio. Quidquid ſit, poſt tranſlationem contemptui habitus eſt ab Ultrajectinis, uti teſtatum reliquit Buchelius ad Hedam pag. 329. „ In „ Paſquillis ævi ſuperioris vocatur *den blauwen Biſſchop*, eadem „ ratione qua floreni blavii, id eſt, Bavarici, a Thoma Cam- „ penſi in Chronico Sanctæ Agnetis appellantur, quod a Ba- „ varis Principibus primum cudi cœperint, qui blavias teſſel- „ las in ſcuto ferunt. “

Henricus poſt quinque fere gubernationis annos, relicto Ultrajecto, in ſuperiorem Germaniam revertitur. Anno 1541. vel 1542. ut eſt in Gall. Chriſt. tom. 5. col. 688. factus eſt epiſcopus Friſingenſis, ſuccedens fratri *Philippo*, & ſic utriuſque ſedis, Wormatienſis & Friſingenſis factus eſt antiſtes. De Friſingenſi teſtatur quoque Bertius in Comm. Rer. German. p. 539. Non fuit autem Spirenſis, uti Heuſſenius vult in Bat. Sac. part. 1. p. 239. col. 1. Nec Moguntinus, uti leviter ſcripſit Pont. Heut. Rer. Anſtriac. lib. 9. pag. 229. ceterum diligentiſſimus auctor. A. A. Galliæ Chriſt. parum accurate de *Henrico* loquuntur. quantum ad tranſlationem provinciæ Ultrajectinæ. Obiit anno 1552. die 3. Junii, in ſubterranea camera majoris chori Wormatienſis ſepultus. Addo Lappii notam ad fol. 175. Hortenſii: „ Urbe & Provincia jam egreſſo, D. Tho- „ mas de Nykercken Chorepiſcopus Ultrajectinus, & Eccle- „ ſiæ Divi Johannis Baptiſtæ Decanus, in choro ſuæ Eccleſiæ „ inſigne monumentum honori Patroni, & memoriæ bene- „ factoris ſui dedicavit in vitro verſus aquilonem, ubi ipſe „ Palatinus chlamydatus adhuc hodie cernitur ad vivum de- „ pictus, ſubſcriptione injuria temporis nonnihil mutilata. “ Et quid illam non exhibuit Lappius quantumvis mutilam?

(1) Non exſtat apud Van de Water inter Edicta Ultrajectenſia ſed apud A. Matthæum de Nobil. pag. 791. & apud Heuſſen. in Bat. Sac. part. 1. fol. 244. col. 1.

(2) Hæc mihi lectio ſuſpecta eſt. Ad Imperatores enim & Monarchas Catholicos ſcribit Papa his verbis: *Chariſſime in Chriſto fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

eſſe ſolliciti de ſalute Eccleſiæ Trajectenſis, quæ ſua ditione ampliſſima nuper exuta, eaque tuæ Maj[tis]. ditionibus, etiam noſtra auctoritate addita, ut remur (3) ſicuti ex querelis multorum poſſumus conjicere, multa illic per tuos agi, tua Serenitate inſcia, & tuo nomine potius quam voluntate, quæ ſi penitus (4) intelligeret, pro ſua pietate religioneque non probaret. Itaque cum ipſa ad præſens agat in illis regionibus, in quibus eorum omnium, quæ circa illam Eccleſiam geſta ſunt & geruntur, veritatem poſſit è vicinio (5) intelligere facilius: hortamur eandem in Dno, ut ſe diligentiſſimè de omnibus informare velit, ac ſemotis Conſiliariis aliis, ſuam ipſius conſcientiam in conſilium judiciumque adhibere; quo mediante, nihil dubitamus, pietatem, juſtitiam, æquitatemque omni apud te reſpectui prævalituram. Sed hæc omnia referet tuæ Maj[ti]. particularius & copioſius dilectus filius Cardinalis *Campegius* legatus noſter, cui fidem ſolitam tua Maj[tas]. adhibere velit. Datum Romæ &c. die octava Maji M°. v°. xxxj°. Anno octavo. (6)

Præſens copia eſt præſentata per Mgrum *Io. Waldarian* Canonicum Trajectenſem, & lecta in Capitulo Trajectenſi die ix[a]. Junii Anno xxxj. teſte me (ſubſignatum) *Wilho* Notario.

(3) *Ut remur.* Manifeſtus error librarii. *Veremur*, legunt Matth. & Heuſſen. & recte.

(4) *Penitus.* Male. Legendum cum utroque: *penitius.*

(5) *E vicinio.* Hic variant lectiones. Matth. *tamquam è vicino.* Heuſſen. qui ex Mss. quoque deſumpſit: *tamquam e vicinio.*

(6) Quibus ſuper rebus querelæ multorum ad Pontificem delatæ fuerint, non potui diſtincte intelligere. Super juramento ab epiſcopis poſt tranſlationem juriſdictionis ſecularis præſtando, exarſit controrverſia cum ſenatu a *Carolo V.* conſtituto. Et cum quinque Capitula huic tribunali obtemperare tergiverſarentur, eo res adducta fuit, ut ad executionem contra Clerum ventum ſit, miſſis apparitoribus in domum Decani Majoris, prout refert A. Matth. de Nobil. p. 741. Vide quæ infra ad *Inſtrum. XIX.* adducam.

INSTRUMENTUM. XIX.

Juramentum quod Michaël ab Enckefort *Præpoſitus Eccleſiæ Sancti Salvatoris Ultrajectenſis præſtitit* (1) *in animam Illuſtriſſimi Dni Cardinalis* ab Enckefort (*poſt ceſſionem* Henrici Bavari *quondam Ultrajectenſis Epiſcopi*) *denominati Epiſcopi Ultrajectini a* Carolo V. *poſt acceptam temporalitatem Epiſcopatus Ultrajectini.*

JUra Ecclesiæ meæ conservabo, libertatem electionis & exemptionis hactenus habitas & obſervatas per Dioeceſin Trajectenſem nunquam infringam, nulla importuna petitione Eccleſias gravabo, & unumquemque in ſuis privilegiis & libertatibus conſervabo, eaque non infringam. Res Eccleſiæ & quaſcunque poſſeſſiones Epiſcopales nullatenus alienabo ſine communi conſilio & libero conſenſu Prælatorum & Cleri.

(1) *Juramentum quod Michael ab Enckefort . . . . præſtitit in animam* &c. Codex noſter hîc eſt vitioſus, & forte infidelis. Juramentum quod exhibet, non eſt id quod præſtitum fuit *in animam Illuſtriſſimi Dni Cardinalis ab Enckefort . . denominati Epiſcopi Ultrajectini*, ſed, quod, ut præſtaretur, Clerus, ſeu quinque Capitula, contenderunt. E contrario præſtitum reipſa fuit Juramentum illud, quod a Conſilio Privato conceptum, & a Curia Provinciali Ultrajectina ad Capitula miſſum, atque a Carolo V. imperatum fuit. Ablata ab Epiſcopo omni jurisdictione ſeculari, mutari debuit juramentum vetus ab Epiſcopis, Ditionis principibus, præſtitum, deletis iis quæ jus ſeculi ſpectabant, aut quæ pactis conventis cum Cæſare contraibant. Jurabant olim epiſcopi, ſe libertatem electionis conſervaturos. Tributa Cæſari nominatione Epiſcopi, delendum fuit illud *electionis*. Ut de omni, quæ intervenit, juramenti mutatione conſtet, exhibere viſum eſt, juramentum vetus, formulam a Clero (ſecundùm codicem noſtrum) propoſitam, & formulam a Cæſare imperatam: poſt quæ ſubjiciam acta, e quibus quid reipſa actum ſit, indubie conſtet.

Jura-

Cleri. Et per præmiſſa non intendo aliquo modo contravenire Tranſlationi temporalitatis in Cæſaream Majeſtatem tan-

1.

Juramentum Vetus.

Jura Eccleſiæ meæ conſervabo illibata, libertatem electionis & exemptionis hactenus habitam & obſervatam per dioceſim Trajectenſem numquam infringam, nec infringi permittam. Nulla importuna petitione eccleſias gravabo, vel gravari permittam. Res eccleſiæ & quascumque poſſeſſiones a prædeceſſoribus meis ad me devolutas nullatenus alienabo. Caſtra quoque ſeu munitiones eccleſiæ meæ Trajectenſis, quæ de præſenti exiſtunt, aut impoſterum fient, non alienabo, aut impignorabo, ſeu debitis gravabo vel directe, vel indirecte, ſed eas & ea ad opus Eccleſiæ meæ prædictæ liberas & libera, prout nunc ſunt, fideliter conſervabo. Nulla bel-

2.

Juramentum a Clero propoſitum.

Jura Eccleſiæ meæ conſervabo, libertatem electionis & exemptionis hactenus habitas & obſervatas per Dioceſim Trajectenſem nunquam infringam. Nulla importuna petitione Eccleſias gravabo, & unumquemque in ſuis privilegiis & libertatibus conſervabo, eaque non infringam. Res Eccleſiæ & quaſcumque poſſeſſiones Epiſcopales nullatenus alienabo ſine communi conſilio & libero conſenſu Prælatorum & Cleri. Et per præmiſſa non intendo aliquo modo contravenire Tranſlationi temporalitatis in Cæſaream Majeſtatem tamquam Ducem Brabantiæ & Comitem Hollandiæ factam, juxta Bullarum Apoſtolicarum tenorem deſuper

3.

Juramentum a Cæſare imperatum.

Jura Eccleſiæ meæ conſervabo illibata, libertatem exemptionis hactenus habitam & obſervatam per Civitatem Trajectenſem nunquam infringam, nulla importuna petitione eccleſias meas gravabo, & unumquemque de juriſdictione mea exiſtentem in ſuis privilegiis & libertatibus conſervabo, eaque non infringam, res eccleſiæ & quaſcumque poſſeſſiones epiſcopales nullatenus alienabo ſine communi conſilio & expreſſo & libero conſenſu Prælatorum & Cleri. Per præmiſſa tamen non intendo derogare, aut aliquo modo præjudicium generare tranſlationi temporalitatis in Cæſaream Majeſtatem tamquam Ducem Brabantiæ & Comitem Hollan-

diæ

tanquam Ducem Brabantiæ & Comitem Hollandiæ factam juxta Bullarum Apoſtolicarum tenorem deſuper confectarum, Et

1.

la & guerras movebo ſine expreſſo conſilio Prælatorum & Cleri. Nulli potenti promittam vel jurabo auxilio ei aſſiſtere contra aliquem hominum vel miniſterialem Eccleſiæ, quamdiu voluerit parere juri & conſilio. Et hæc fideliter & firmiter obſervabo. Sic me Deus adjuvet & omnes ſancti, fideſque ſanctorum Evangeliorum. *Ex Ant. Matthæo de Nobil. pag.* 277.

2.

confectarum. Et hæc fideliter obſervabo. Sic me Deus adjuvet & omnes ſancti, fideſque ſanctorum Evangeliorum. *Ex Codice noſtro mſ.*

3.

diæ facta juxta Bullarii Apoſtolici deſuper confecti tenorem. Et hæc fideliter & firmiter obſervabo. Sic me Deus adjuvet & omnes ſancti, fidesque ſanctorum Evangeliorum. *Ex Ant. Matthæo de Nobil. pag.* 740. *Et Van de Water in Edict. Ordd. Ultraject. tom.* 1. *pag.* 28.

Quid conſentiat, quid diſcordet inter hæc tria juramenta, facile diſtinguet unusquiſque. Clerus *Electionem* epiſcopi, bona fide ſtipulari non poterat. Id ſupra vidimus in non uno *Inſtrumento*. An Decanorum electiones in mente habuerunt, cum vocem *electionis*, imo, *libertatem electionis* retinendam cenſuerunt in juramenti ſui formula? Aſt teſtatur *Clemens VII.* in Bulla Confirmationis, quod *Præpoſiti Decani & Capitula ultro ac ſponte* Carolo V. conceſſerint nominationem epiſcopi & Decanorum. Non reſpexerint igitur niſi ad electionem perſonarum a Cæſare nominatarum. Quod ſi ſic, jam hæ voces *libertas electionis*, derogabant & præjudicium generabant translationi temporalitatis in Cæſaream Majeſtatem. Merito proinde ſtandum fuit formula, juramenti tertio loco conſtituti. Hæc Cleri Ultrajectini ſive rudis ſimplicitas, ſive aſtutia, ſi admirationem movet, cujus intellectum non percutiat octo presbyterorum Schiſmaticorum inſania, qui poſt duo ſecula ab his rebus geſtis, arrogarunt ſibi liberam electionem epiſcopi Ultrajectini medios inter Acatholicos? Sed de his alias.

Su-

Et hæc fideliter obſervabo, ſic me Deus adjuvet & omnes ſancti, fideſque ſanctorum Evangeliorum.

For-

Supereſt ut doceatur, tertium juramentum a Cæſare imperatum præſtitum fuiſſe a procuratore Cardinalis *ab Enckevort*, primo poſt tranſlationem dominii temporalis epiſcopo Ultrajectino. Poſtquam diu reluctati fuerant Prælati, Decani & Capitula quinque eccleſiarum, & capitulariter congregati, ac matura deliberatione præhabita, die 23 Maji 1531. concluſerant; *quod in vim juramenti per Epiſcopos Deo & Eccleſiæ præſtiti, & de jure, non poſſent conſentire in regiſtratione articulorum juramenti Epiſcopalis in ea forma, qua nuper fuerant a Curia Cæſareæ Majeſtatis miſſi*, quarto poſt die tranſegerunt in hunc qui ſequitur modum: „ Alſo op de veranderinge van den Eedt „ des Biſſchops van Utrecht langh queſtie is geweeſt, op de „ welcke by die Keyſerlyke Majeſteyt als Erfheer s'Lants „ van Utrecht, na in ſynen ſecreten Raede geſien is geweeſt, „ t'gunt van wegen de vyf Godshuyſen binnen Utrecht daer „ op geſchreven was, geordineert is ſeecker form met reſtri„ ctie ende immutatie, als by Stadthouder ende Raedt van „ Utrecht, die d'executie gecommitteert was, van de Gede„ puteerde van de vyf Godshuyſen in geſchrifte overgele„ vert was. Waer op de ſelve Gedeputeerden noch ſwari„ cheyt gemaeckt hebbende, ende eyndelyck naer deliberatie „ in hare Capittelen daer op gehadt, hebben op huyden by „ deſelve hare Gedeputeerden voor Stadthouder ende Raedt „ voorſz. doen verklaren, dat om af te doen alle die queſtien „ vallende op d'alteratie van de particuliere articulen van den „ voorſz. Eedt, ſy te vreden waren, dat die Biſſchoppen van „ Utrecht in toekomende tyden geen ander Eedt doen en „ ſouden, dan den generaelen Eedt, vervolgens die form „ van wegen die Keyſerlycke Majeſteyt den ſelven vyf Godts„ huyſen binnen s'jaers overgeſonden, hier na geincorpo„ reert: *Jura Eccleſiæ meæ conſervabo illibata &c. Prorſus ut ſupra* „ *tertio loco. Et mox*: Begeerende dat Myn Heer den Stadt„ houder ende Raedt daer mede ſouden willen te vreden ſyn. „ Waer op by Myn Heere den Stadthouder ende Raeden „ voorſz. de ſelve Gedeputeerden ter antwoort gegeven is, „ dat alſo by de Keyſerlycke Majeſteyt Ordinantie gemaeckt „ is op den voorgaenden Eedt als voorſz. is, hemlieden niet „ mogelyck en was die Ordinantie te infringeren, ofte te „ altereren, nochtans ſo veel in hem is hebben met de „ voorgaende preſentatie van de voorſz. vyf Godshuyſen te „ vreden geweeſt, ſo verre die ſelve vyf Godshuyſen *Capitu-*

 „ *lariter*

Formula hæc Juramenti Epiſcopi, quod poſt tranſlationem Dominii temporalis præſtat, regiſtrata eſt fol. lxviij libri primi Ordinantiarum Curiæ Provincialis Ultrajectinæ, in Greffia.

Vi-

„ *lariter* deden verklaren, dat hy nu noch in toekomende ty-
„ den de Biſſchoppen van Utrecht geen van de particuliere
„ articulen van den eed, die ſy ſeggen de voor Biſſchoppen
„ gedaen te hebben, die nae Biſſchoppen die intoekomende
„ tyden weſen ſullen, voorleggen, nochte van hem begeeren
„ en ſullen, maer ſullen te vreden ſyn alleen met den gene-
„ raelen Eedt, ende t'ſelfde in haer regiſtre doen regiſtreren,
„ ende dit al onder correctie ende die goede geliefte der
„ Keyſerlycke Majeſteyt. Actum t'Utrecht den 27. May.
„ Ann. 1531. Ende was onderteekent. *Jo. Slacbeck* Præpoſi-
„ tus. *Johannes de Vorſt* ſub beneplacito dominorum meorum.
„ Simili modo ego *G. de Suggerode* Decanus S. Salvatoris.
„ *Nikercken* Decanus S. Johannis. *Hermannns* Decanus B. Ma-
„ riæ. Ita eſt: *Jo. de Winſem.* Ende geſchiede in preſentie
„ des Stadthouders, eerſte, ende andere Raeden van den
„ Keyſer in den Hove Provinciael van Utrecht. "

Ex primo Curiæ Memoriali.

Eedt die den Biſſchop van Utrecht voertaen nae die tranſlatie van de temporaliteyt des lants van Utrecht volgende d'Ordonnantie van den Keyſer nu Erfheere der ſelver Landen doen ſal den vyf Godshuyſen ende Geeſtelyckheyt van Utrecht.

„ Alſo overmits die tranſlatie van de temporaliteyt der
„ Stadt, Steden, en Landen van Utrecht tot profyte van de
„ Keyſerlycke Majeſteyt, ſynen erven; ende nakomelingen,
„ Hertoghen ende Hertoghinnen van Brabant, Graven ende
„ Gravinnen van Hollant, int accepteren van den Eerwaer-
„ digen Heere, Heere *Willem van Enkevoert*, Cardinael van
„ Derthuſen tot den Biſdomme van Utrecht, op de forme
„ ende alteratie van den Eedt, die hy ende ſyne nakomelin-
„ gen Biſſchoppen van Utrecht, in haer admiſſien den vyf
„ Godshuyſen ſouden doen, queſtie ende geſcheel geweeſt is
„ tot deſen daghe toe, Ende dat eyndelyck Keyſerlycke
„ Majeſteyt onſen aldergenadichſten Heere ende Landfurſt
„ opte voerſchreve differenten den XI. dach van deſe maent
„ ſyn verklaringe gedaen heeft, hebben die Prælaten, Deke-
„ nen, ende Capittelen van de vyf Godshuyſen, *achtervolgende*
„ *de voerſchreven Ordonnatie der Keyſerlycke Majeſteyt*, daer op ge-
„ daen, belieft, ende geconſenteert, believen ende conſente-
„ ren mits deſen, dat van nue voortaen alle toekomende

„ Biſ-

Videantur Lambertus Hortenſius ad fol. 180. rerum Ultrajectinarum, & Lappii notæ ad eundem locum. (2)

F I N I S. (3).

„ Biſſchoppen van Utrecht by de Keyſerlicke Majeſteyt als „ Hertoge van Brabant, Grave van Hollant, ende Heere der „ Stadt, Steden, ende Lande van Utrecht genomineert ende „ by der Kercke van Utrecht gecoren ende ontfangen, alleen „ den Eedt hier naervolgende doen ſullen, te weten: " *Jura Eccleſiæ meæ conſervabo, libertatem exemptionis &c. prorſus de verbo ad verbum uti ſupra tertio loco. Poſt quæ ita pergunt:* „ Ende deſen Eedt aldus gedaen hebbende en ſullen de vyff Godshuyſen van de toekomende Biſſchoppen van Utrecht geen vorder particulier articulen van Eede eyſſchen, maer denſelven toekomenden Biſſchoppen dies voortaen ongemoeyt „ laten, nochtans alle Statuyten, Privilegien ende gewoonten der vyff Godshuyſen voorſz. ſo verre ſy goet en „ deuchdelyck ſyn, ende ſy deuchdelyck daer van gebruyckt „ hebben, in heure waerden blyvende. Actum in den kleynen Capittelhuyſe ten Doem t'Utrecht int jaer ons Heeren „ duyſent vyf hondert ende een en dertich op den XVIII. „ dach in Junio. Onderſtont geſchreven.

Extracta eſt præſens copia per me Notarium infraſcriptum ex libro juramentorum Eccleſiæ Trajectenſis, & diligenter collationnata concordat cum eodem teſte me Wilh. de Superiori Trajecto Notario. *Noch onderſchreven: Collationata eſt præſens præſcripta copia ex libro juramentorum majoris eccleſiæ Trajectenſis extracta, & exemplata concordat de verbo ad verbum, quod ego Notarius publicus infraſcriptus atteſtor manu & ſigno meo propriis.* Jo. de Goch. Notar.

Vide A. Matth. de Nobil. pag. 739. 740. & 741. Et van de Water in Cod. Edict. Ordd. Ultraj. tom. 1. pag. 28. n. XXIV.

(2) Quid remittimur ad Hortenſium & Lappium? Nihil ibi de hoc juramento. Neſcio an hoc ultimum *Inſtrumentum XIX.* huic collectioni additum ſit a quodam ſciolo & forte malevolo. Neque enim intelligo, quid movere potuiſſet *Joannem van de Vorſt.* Decanum Majoris, ut huic compilationi, quam ei adjudico, adjiceret formulam juramenti rejectam, quam ſpuriam ac falſam non potuit non agnoſcere, poſtquam ipſemet, tamquam unus e Deputatis quinque Capitulorum, ſubſcripſit tranſactioni ſupra poſitæ, qua acceptata eſt formula a Cæſare imperata.

(3) Hic eſt Finis codicis noſtri. Clar. Johannes van de Wa-

Water dedit inter Edicta Ordinum ſæpe citata, *Inſtrumentum* unum, cui pag. 3. n. 3. hic præfigitur titulus: *Tractaet gemaeckt ende geſloten t'Vytrecht tuſſchen de Keyſerlyke Majeſteit ende Myn Gen. Heere van Vytrecht op te Tranſlatie van de Temporalité van der Stadt, Steden en Landen van Vytrecht, den* 14. *Aug.* M. D. XXVIII. Id compilator codicis noſtri omiſit. An ſtudio, an cognitionis defectu? Neutrum affirmavero. Si ad hiſtoriæ integritatem pertineret, ego id ſine dubio apponerem, cum prædictorum Edictorum volumina, quæ ſpiſſa ſunt valde & non exigui pretii, non in omnium manibus verſentur. Verùm ex ejus lectione deprehendi, *Inſtrumentum* illud, licet merito conſervatum, ad hiſtoriam tranſlationis temporalitatis ditionis Ultrajectinæ in Cæſaream Majeſtatem, nihil magnopere facere, cum *Henricus* Bavarus in eo paciſcatur utilitatem ſuam prorſus privatam, & cohortium quas conſcripſerat contra Ducem Gelriæ. Fateor, eum ſtipulari pauca, & verbis quidem generalibus, pro Clero, populoque Ultrajectino. Sed hæc abunde & quinimo copioſius, explicatiuſque comprehenduntur in *Inſtrumentis* hujus codicis noſtri.

CORNELII

CORNELII PAULI HOYNCK VAN PAPENDRECHT,

ARCHIPRESBYTERI MECHLINIENSIS

CATALOGUS

HISTORICO CHRONOLOGICUS

PÆPOSITORUM ET DECANORUM

Quinque Eccleſiarum Ultrajectenſium

A Seculo VIII.

Usque ad finem Seculi XVI.

PRÆFATIO

De quinque Capitulis eccleſiæ Ultrajectinæ, eorumque præpoſitis & decanis.

QUinque olim Ultrajecti eccleſiæ collegiatæ, nimirum S. Martini ep. & conf. S. Salvatoris, S. Petri, S. Joannis, & S. Mariæ. Prima cathedralis a ſeculo VIII. metropolitana a ſec. XVI. Et hæ omnes exſtant hodie, excepta æde S. Salvatoris anno 1587. decreto magiſtratus deſtructâ.

Quinque capitulorum præbendæ ſuperſunt in manibus acatholicorum, qua de re, uti & de mutata Ultrajecti religione, atque de collapſa ſede epiſcopali, & de everſa jurisdictione eccleſiaſtica, diſputavi in *hiſtoria eccleſiæ Ultrajectinæ* anno 1725. vulgata. Illic tempora noviſſima, hîc antiqua & catholica intuemur.

In his capitulis univerſim ſunt præbendæ centum & quadraginta, videlicet in cathedrali S. Martini 40. in eccleſia S. Salvatoris 20. in eccleſia S. Petri 30. in eccleſia S. Joannis 20. & in eccleſia S. Mariæ 30. Parochiales eccleſiæ, a collegiatis diſtinctæ, quatuor.

Quinque capitula congregata, eccleſiam Ultrajectinam faciebant; & *capitulum Trajectenſe* vel etiam *capitulum generale* appellabatur, coram quo omnes de diœceſi, & omnes indiſtincte, nobiles etiam, milites, miniſteriales, & ipſe Epiſcopus, citabantur, & vocati tenebantur venire. *Ant. Matth. de nobil. pag. 616.*

Habebant ſingula capitula jurisdictionem in canonicos, *De jur. glad. pag.*

85. 343. 461. 478. *de nobil. p.* 398. nicos, choriſocios, aliosque miniſteriales. Epiſcopo Trajectenſi ante Concilium Tridentinum, & erectionem ſedis in Archiepiſcopalem, nulla in civitate fuit poteſtas, nulla juriſdictio; a capituli tamen ſive generalis, ſive unius, ſententia provocatio ad eum fuit: ceterum capitula in ſuos ipſi cenſores, judices; ſuos viſitabant, emendabant ipſi.

Præpoſiti & decani quinque capitulorum, *prælatorum* nomine veniebant, & ſcribebant ſe *Dei miſericordia*, *Dei gratia*, & *S. Sedis apoſtolicæ* præpoſitos, decanos. Crucem auream, more epiſcoporum ante pectus geſtarunt, ut plurimorum imagines a me viſæ, teſtantur.

Sede vacante, jurisdictio tota devolvebatur ad quinque capitula conjunctim, a quibus etiam electio ſucceſſoris epiſcopi celebrabatur.

Electio apud clerum & populum fuit, donec Conradus III. anno 1145. jus electionis conceſſit duobus capitulis S. Martini & S. Salvatoris, excluſo populo & reliquo clero. Chartam dedi in *hiſt. eccl. Ultr. pag* 85. Hæc conceſſio facta fuit ſub Hardberto Epiſcopo XXVI. qui obiit juxta Bekam & Bockenbergium anno 1150. quo eodem anno prima electio epiſcopi per duo capitula jam dicta, celebrata fuit de perſona *Hermanni de Horne*. Poſtea tria reliqua capitula partem ceperunt in electione epiſcopi; quo auctore, incompertum. Tranſiit proinde jus, & jurisdictio ſede vacante ad quinque capitula ſimul, quod poſterioribus temporibus appellari cœpit *univerſale capitulum*, cujus prima mentio fit ſub *Willibrando* epiſcopo XXXV. qui cum juxta Bockenbergii chronologiam electus fuerit anno 1227. ad hæc fere tempora quinque capitulorum auctoritas trahenda eſt.

Beka in Hermann. & Bucbel. ibid.

Beka pag. 72.

Nec

Nec minores fuerunt quinque capitulorum prærogativæ ſeculares. *Capitulum Trajectenſe* erat primus Status Provinciæ Ultrajectinæ. Nobiles alter. Civitas tertius. Singula capitula habebant feuda, clientelas, vaſallos ſuos; curiam & pares curiæ, qui de feudis dicebant jus. Suus ſingulis erat Prætor, ſui ſingulis ſcabini, quia ſingulis ſua jurisdictio. Nec capitulis tantum prætor. Erant quinque præpoſiti, & his ſingulis etiam prætor, tribunal ſingulis, & jurisdictio. Quinque capitula habebant jus gladii. Sed præ ceteris præpoſitus S. Joannis. *De jur. glad. p. 500.*

Statim poſt iconomachiam, anno 1566. dire graſſantem, collabi cœpit jurisdictio eccleſiaſtica; peſſumdata per *Unionem Ultrajectinam* anno 1579. quando etiam Pontifici Romano erepti ſunt *menſes Apoſtolici*, ut loquimur; & Archiepiſcopus exutus fuit quinque præbendis, quas poſſidebat in ſingulis eccleſiis unam. Prima concio Proteſtantium in templo S. Mariæ habita fuit anno 1585. Et anno 1620. taxatæ quinque eccleſiæ pro luminaribus in eccleſia majori ſive S. Martini, pro cultu acatholico. *De nobil. p.* 880. *fund. & fata. pag.* 143. *Ibid. pag.* 20.

Biennio poſt ab Ordinibus decretum fuit, ut vacantium præpoſiturarum, per mortem ſcilicet prælati, ſex primorum annorum fructus cederent fiſco. Anno 1633. attribuerunt ſibi Ordines auctoritatem dandi coadjutores præpoſitis ſeu archidiaconis trium eccleſiarum, S. Salvatoris, S. Joannis & S. Mariæ. Cur non & reliquarum duarum? cauſa non occurrit hactenus. Et hac proviſione inter tres Ordines diviſâ, miſſis ſortibus, nominatio coadjutoris præpoſituræ S. Salvatoris ceſſit magiſtratui urbano; S. Joannis, nobilibus ſeu proceribus; præpoſituræ & theſaurariæ S. Mariæ, deputatis & electis de clero, jam maximam partem acatholico & conjugato. De jur. glad. pag. 98. & 104. Ibid. p. 103.

Ibid. & pag. 101. Eodem anno *Joannes Albertus Comes de Solms* acatholicus & conjugatus, factus eſt præpoſitus S. Joannis, reſignante *Joanne Reneſſio van der Aa*, commendante *Guilielmo* principe Auriaco, nominantibus Ordinibus, & eodem dein principe, ceu epiſcopo, confirmante. Ibid. p. 104. 105. Anno 1638. decreto eorumdem Ordinum, viduæ Comitis conceſſus præpoſituræ uſus fructus quamdiu viveret, ſub conditione adjecta ſervando decoro, ut mortuo *Joanne Alberto*, alius poſt alium mas, ejus loco eligeretur ad titulum præpoſituræ, manente apud feminam uſufructu, poſt cujus tandem mortem, & non aliter, vacare cenſeretur præpoſitura. Nec male ceſſit feminæ, quæ vixit usque ad diem 19. Junii 1706. quando opulentiſſimo, quod Ultrajecti fuit, beneficio uſa fuit annis quinquaginta & octo, marito nempe e vivis erepto anno 1648.

Nunc de ſingulis capitulis nonnulla delibanda ſunt.

Eccleſia S. Martini exſtructa fuit a S. Willibrordo in loco, quo a Danis deſtructa fuerat eccleſiola S. Thomæ; primùm conſecrata in honorem S. Crucis ſub finem ſeculi VII. poſtea, reverſo ex urbe Roma Willibrordo Archiepiſcopo, ſeculo VIII. ineunte, mutata in cathedralem, S. Martino Turonenſi nuncupatam, data fuit *canonicis cœnobitalibus* V. Bekam in Willibrordo. Buchel, & epiſt. S. Bonifacii ad Stephanum PP. III. apud Baron. ad ann. 755. n. 40.

Matth. de Reb. Ultraj. in præf. ** 2. Appellatur *eccleſia major* κατ' ἐξοχὴν, tum quod ſit prima ordine & tempore, tum quod ſplendore & magnitudine ceteris præſtet. Dicitur etiam ſimpliciter *eccleſia Trajectenſis*. Hinc ejus præpoſitus, *major* vocatus; & *præpoſitus Trajectenſis*. Ejuſque decanus *major*; *decanus Trajectenſis Capitulum majoris*. Non tamen *capitulum Trajectenſe*, quæ appellatio congruit congregationi quinque capitulorum.

Ec-

Eccleſia vernacule *den Dom.* *Dom* idem quod *domus*, quod *dominicum*. Idem autem *dominicum* quod templum. Hinc canonici majoris *Domheeren*, ob excellentiam *dominici*, ſive templi, S. Martini. Hæc tamen appellatio adhæſit quoque canonicis S. Salvatoris, quòd hæc eccleſia unà cum majori fundata, & canonici utriuſque, ſpeciali fraternitate & antiquiſſima conjuncti eſſent. Fund. & fata fund. I.

Præpoſitus *majoris*, vir illuſtris & facultatibus præpotens, erat ſimul archidiaconus majoris. Præerat feudis capituli. Erat advocatus eccleſiæ majoris ex conceſſione Henrici V. Imperatoris. Solus habebat univerſam jurisdictionem ſpiritualem intra civitatem, & in quibusdam locis in dioceſi. Hollandiam, Zelandiam, quatuor Flandriæ officia, & partem quamdam Gelriæ, tamquam archidiaconus cum epiſcopo (ante Concilium Tridentinum) conjunctim & indiviſo jure adminiſtrabat. Viſitabat loca ſibi ſubjecta. Inveſtiebat juratos a patronis præſentatos. Conſtituebat Officialem, Vicarium, ſocium præpoſiti, & decanum. Cauſæ coram eo, aut officiali ſuo motæ non niſi per appellationem devolvebantur ad epiſcopum. de nobil. pag. 217. Edicta Ord. Ultraj. tom. 2. pag. 965. col. 1. de nobil. pag. 628. de jur. glad. p. 80. 87. de nob. p. 401. de jur. glad. p. 100.

Decanus *majoris* libere eligebatur a capitulo uſque ad Caroli V. tempora, quando non alius electus, niſi quem ipſe nominaſſet. Magna ejus dignitas. Præcedebat omnes præpoſitos aliarum eccleſiarum tam in civitate quam per diœceſim excepto præpoſito majoris. In capitulo nulli ſecundus, nulli in cœtu Ordinum. Presbyter eſſe debuit, & in eccleſia majori, archipresbyteri vices geſſit. Epiſcopo abſente, is, non præpoſitus, vices illius tam diebus ſolemnibus, quam aliis, in divinis ſupplevit, quia fructus tulit præbendæ epiſcopalis. de nobil. p. 640. ibid. p. 618.

Magna

Fund. & fata pag. 45. n. 29.

Magna ejus auctoritas. Præerat capitulo majoris non tantum, ſed & capitulo generali. Quin etiam Ordinibus in comitiis. Indicebat comitia. De quibus deliberandum, conſeſſui proponebat, perrogabat ſententias, & rurſum, ubi viſum, diſſolvebat conſeſſum. Qui ſecretarius decani, eo ipſo ſecretarius Status. Citabat epiſcopum, & citato veniendum fuit ad capitulum, ac querelarum contra ſe, ratio reddenda. Id jus faſſi ſunt epiſcopi. Diverſa in hanc rem exſtant diplomata apud A. Matthæum. Si nec ſiſteret ſe, nec ſatisfaceret, inhibebat decanus diſerte, ne quis exinde ejus juſſis pareret.

Ibid. p. 254. de nob. p. 637.

de nob. p. 615.

E capitulo *majoris* eccleſiæ aſſumi debuere præpoſiti S. Petri, S. Joannis & B. Mariæ in civitate; & S. Pancratii in oppido Leidenſi ex conceſſione Conradi epiſcopi anni 1088: ad quas, prævia electione, capitulum præſentabat epiſcopo. Teylenſis præpoſitura & oppidi Elſt ad epiſcopi quidem collationem, ſed non aliis, quam canonicis conferri poterant.

de reb. Ultr. præf. ** 2. 3.

Eccleſia S. Salvatoris, quæ & S. Mariæ, & aliquando quoque, ſed ſerius, S. Bonifacii dicta, a S. Willibrordo exſtructa fuit, ut perſpicue S. Bonifacius in epiſt ad Stephanum PP. III. De vetuſtate ſemper certavit cum majori eccleſia, jam funditus everſa, ut dixi. Præpoſitura S. Salvatoris inſignis, & poſt S. Joannis opulentiſſima. Multum illuſtrata fuit per *Gregorium* XI. qui eam habuit Cardinalis cum eſſet, & per *Adrianum* VI. qui eam, etiam poſtquam Papa, tenuit. Eccleſia S. Salvatoris dabat ſibi ipſa præpoſitum e gremio ſuo, non ſubjecta *majori*; & præter eum nullus erat advocatus eccleſiæ, ex conceſſione Henrici V. Imp.

de nob. p. 217.

Eccleſia S. Petri exſtructa fuit ante medium ſeculi XI. & fundata per Bernulphum epiſcopum XX.

Eccle-

Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ ab eodem Bernulpho eodem tempore exſtructa & fundata. Præpoſitus inſignium dominiorum toparcha, ſolus habens jus gladii, jus crimen indulgendi, dandi litteras ſecuritatis, condendi leges, & ut principes ſupremi, pro læto introitu aliquod æs exigendi, quod *precariam* vocant. Nullum Ultrajecti opulentius præpoſiturâ S. Joannis, beneficium. Fund. & fæta p. 128. de nob. p. 421. & ſeqq.

Eccleſia B. Mariæ exſtructa ſeculo XI. exeunte, dotata fuit per Imp. Henricum (IV. an V. non ſatis liquet) & per Conradum Suevum epiſcopum Ultrajectinum XXII.

Subjicio catalogum præpoſitorum & decanorum. In præf. fund. & fata. 1704. A. Matthæus dedit præpoſitos majoris, S. Joannis & B. Mariæ. Decanos nullos. Heuſſenius, & hos & illos, omnium quinque eccleſiarum dedit, ſed non omnes. Ejus errata & plurima, & moleſta. Accuratior Arnoldus Drakenburgius Profeſſor Ultrajectinus, cujus opus inſertum eſt novæ editioni Edictorum provinciæ & Civitatis Ultrajectinæ, quæ vulgavit Johannes Van de Water JC. tribus voluminibus in folio anno 1729. Tom. I. a p. 239. Eadem mecum via inceſſit Drakenburgius percurrens numeroſa Matthæi volumina, adhibitis Beka, Heda, eorumque commentatore Buchelio. Inſpexit quoque Wolteri Brockii catalogum Ms. Non gravate feret vir eruditus, ſi ab ejus quandoque ſententia abeo, maxime cum ſolius Heuſſenii nititur chronologia, qui, ut ut diligens patriarum antiquitatum eccleſiaſticarum ſcrutator, meritoque laudandus, ubi fabricando fulciendoque ſuo non ſtudet ſchismati, tamen dum edidit quæ reperit, ſubinde eſt lapſus, quod aliud agens, & inſtitutum a noſtro diverſum proſequens, neceſſe non habuit examinare ea, quæ nos nobis inveſtiganda propoſuimus.

Supereſt monere hoc unum. Ante decennium hunc Catalogum promiſi. Occaſionem intellige ex *ſpecimine Eruditionis Broederſenianæ* anno 1730 vulgato, ad quod adverſarius ille meus obmutuit. V. ibi pag. 37. Nondum prodierat nova editio *Analectorum Antonii Matthæi*. Uſus ſum veteri in 8. Citare potuiſſem novam editionem, ſi editor marginibus adjeciſſet numeros paginarum veteris.

CATALOGUS
HISTORICO-CHRONOLOGICUS
PRÆPOSITORUM ET DECANORUM QUINQUE ECCLESIARUM ULTRAJECTENSIUM.

Præpoſiti Majoris eccleſiæ, ſive S. Martini.

I. Stus. ADALBERTUS vel *Adelbertus.* Traxerat ex Anglia originem de veterum Saxonum nobili proſapia, inquit Joan. a Leydis Ann. Egmund. ab Ant. Matth. edit. cap. 2. addens: *Et primus Archidiaconus Trajectenſis fuiſſe creditur.* Nec plura dicit Beka in *S. Willibrordo.* Heuſſenius in Catalogo ſuo, quem dedit in Hiſt. Epiſc. Ultraj. pag. 50. ſimpliciter ponit: *primus Præpoſitus Trajectenſis*, quaſi res certa eſſet. In Martyrologiis quibusdam appellatur *Levita*, *ac primus Diaconus Trajectenſis inferioris Eccleſiæ*, apud Joannem Baptiſtam Sollerium in Auctariis ad Uſuardum die 25. Junii, p. 361. Et Joannes a Leydis in prologo quidem, primum dicit Archidiaconum Eccleſiæ Trajectenſis, ſed ſtatim cap. 1. variat, & *S. Willibrordi* primum Archidiaconum perhibet, a quo „ ſpecialiter ad Kennemariam delegatus, ibidem in fide Ca- „ tholica novellæ converſionis roboravit Eccleſiam, in loco „ qui nunc Egmunda vocatur, tunc temporis *Hallem* dictus &c. Similia habet in Chron. lib. 2. cap. 41. ubi ſcribit *Athalbertum.* Apud Mabillon. Secul. 4. SS. Ord. *S. Benedicti*, ſocius quidem *S. Willibrordi*, ſed tantum *Diaconus* vocatur. Porro *S. Adalbertus* ſepultus eſt Egmundæ. Videantur ejus Acta apud Papebrochium tom. 5. Junii a pag. 94. Ejus obitus refertur ad annum 740. Sec. VIII.

II. S. Gregorius epiſcopus Ultrajectenſis III. & *S. Bonifacii* Succeſſor anno 752. (ſi tamen *S. Bonifacius* epiſcopus Ultrajectinus fuerit, qua de re multum dubito, ut ut in vulgatis catalogis omnibus ponatur ſecundus ordine) juxta Bockenbergium, a nonnullis habetur tamquam præpoſitus majoris; ſed cum nullas uſpiam probationes offenderem, prætermiſeram hunc, donec eum vidi Drakenburgii Catalogo inſertum, ex Brockii Ms. quod tamen nullas etiam rationes attulit. Cùm Drakenburgio auctor fuerit, erit & mihi in re dubia, incertaque.

An. 838. III. Craft Præpoſitus ſub *S. Frederico* Epiſcopo Ultrajectino. Electus fuit in Epiſcopum in diſcordia, & *Alberico*, *S. Frederici* germano fratri poſthabitus, Clero inprimis, ſed præcipue *S. Odulpho*, annitentibus: Beka in Alberico. Ubi dicitur vir opulentus. Appellatur *Caſten* ab ejus interprete Belga, quem edidit Matth. Analect. tom. 5. p. 35. *Craſt* apud *Hedam*, & in Magn. Chron. Belg. *Caſtnon* in Chron. latino apud Matth. Analect. tom. 9. p. 23. Neſcio ubi Heuſſenius legerit *Craff*. Bockius in Ms. ſuo notavit, quod hic præpo-
850. ſitus ſuperfuerit anno 850. *Drakenb.*

An. 943. IV. Regenbaldus Præpoſitus in Charta *Balderici Clivii* Epiſcopi XV. apud Hedam. Heuſſenius ſcribit *Ragenboldus*, ſed unde hauſerit, ſilet. Joannes Knippenbergh ſcribit *Regenboldus*. Hiſt. Eccleſ. Ducat. Geldriæ pag. 47. col. 2.

An. 1016. V. S. Wolbodo Præpoſitus. *Volbodo.* Apud Meyerum Annal. Fland. lib. 2. ad annum 1020. *Walbodo* apud Buchel. ad Hedam in *Adelbodo* pag. 117. *Ulbodo* apud Heuſſenium. Sed unde, tacent omnes. Malui *Wolbodonem* dicere, quod ita ſcribatur in utraque vita Sancti, in Actis SS. Aprilis tom. 2. p. 855. & ita quoque habeat Chapeavillæus in Geſt. Pont. Leod. tom. 1. p. 242. nec non in Chron. M. B. Porro Heuſſen. Sanctum noſtrum, non Præpoſitis, ſed Decanis Majoris adnumeravit, Meyerum fortè & Chapeavillæum ſecutus, & Chron. M. B. imo Buchelium, qui tamen loquitur ſubtimide: *creditur Decanus fuiſſe S. Martini in Trajecto.* In antiquiori vita, quam ex M. S. Martyrologio Eccleſiæ *S. Laurentii* Leodienſis dedit Godefridus Henſchenius, & quam arbitratur, intra paucos poſt Beati obitum annos fuiſſe conſcriptam, diſerte legitur. *Apud ulterius Trajectum . . . Præpoſitus factus.*

In

In poſteriore autem vita auctore Reinero Monacho *S. Laurentii*, qui floruit circa annum Domini 1130. diſertius: *Eccleſiæ Ultrajectenſis . . . . Canonicus a puero . . . . Magiſter denique ſcholarum factus . . . . ad Præpoſituram deinde majoris Eccleſiæ promotus.* Molanus in natal. SS. Belg. ad d. 21 Aprilis refert epitaphium Sancti his verbis incipiens:

Stirpe decens, veritate nitens Vualbodo notatur
Præpoſitus pridem Trajecti Rector . . .

Auctor Galliæ Chriſt. novæ edit tom. 3. col. 805. E. Statuit præpoſitum & Decanum fuiſſe. Sed ibi nihil probat. Et Reineri verba clara ſunt, quæ proinde ſtare debent. In hiſtoria Monaſterii *S. Laurentii* Leodienſis quam edidit Edmundus Martene in veterum ſcriptorum ampliſſima collectione, tom. 4. col. 1050. hæc lego: *Defuncto, ut diximus, epiſcopo Baldrico, vir pietate inſignis Wolbodo S. Martini Ultrajectenſis præpoſitus, in epiſcopatum ſuccedit.*

Teſtatur Reinerus, & ex illo Ægidius Bucherius apud Chapeavill. quod *S. Wolbodo* claræ nobilitatis genus ex Flandria duxerit. Meyerus loc. cit. ei maternum genus tribuit ex domo clariſſimorum principum Flandriæ, & *Gothofredi* Ducis Montani filium facit, quod improbat Henſchenius, uti etiam, quod fuiſſe perhibeat Monachum Stabulaunicum, eum, qui *Stavelo.* vitæ antiquioris auctore teſte, *apud Ulterius Trajectum ſub religioſis admodum patribus, in eccleſiaſticis clauſtralis vitæ adolevit diſciplinis*, & qui a puero *Canonicus* Eccleſiæ Ultrajectinæ, dein *Scholaſticus*, ac poſtea *Præpoſitus fuit.* Conſtat Canonicos olim in clauſtris vixiſſe, & primitus *fratres*, ſerius *Canonicos*, eſſe appellatos. Reprehendit & illud Henſchenius in Meyero, quod *S. Wolbodonem* Sacerdotem *Henrici* Auguſti, ac regni Cancellarium vocet, monens apud antiquos legi *Capellanum.* Porro Sanctus noſter factus eſt Epiſcopus Leodienſis anno nimirum 1017. Obiit autem XI. Kal. Majas. 1021. Ita Meyerus, Chapeavill., Henſch. Buchelius autem, niſi error ſit in numeris, vitam ejus producit uſque ad an. 1023. Sed quibus annis fuit Præpoſitus Majoris? Id ſcio juxta cum ignariſſimis. Appoſui annum 1016, quia ante Epiſcopatum *Præpoſitus* fuit.

Hic interponendus videri poſſet *Wigerus* tamquam Præpoſitus, qui cecidit in pugna inter *Adelbodum* Epiſcopum, & *Theodoricum* III. Comitem Hollandiæ, ob hæc verba *Matthæi Voſſii* annal. lib. 1. mihi p. 31. *Conſtat* WIGERUM *Epiſcopo proximum dignitate, dein Wikindum, & Gadezonem Comites.... cum plurima nobilitate cecidiſſe.* Quin Epiſcopo Ultraj. proximus dignitate fuerit is, qui vocatur: *Præpoſitus Majoris*, negari nequit. Sed illo vocabulo mediæ latinitatis ſcrupuloſior *Voſſius* uſus non eſt. Verum non occurrit in ullo catalogo & fortè fuit *advocatus* Eccleſiæ, quæ erat dignitas epiſcopali proxima, & non niſi poſt ſeculum Præpoſitis unita & conceſſa, uti dixi.

An. 1026. VI. ODO Præpoſitus, apud Hedam in *Adelbodo* Epiſcopo pag. 110. Heuſſen. „ *Udo* alias *Odo* an 1026. " Non addit ubi legat *Udonem*, aut quare illum annum, *Adelbodi* penultimum, adjiciat. *Sub eo*, inquit Heda, ODO *Præpoſitus capiebatur ab Immone.* Quare mallem univerſos *Adelbodi* annos, quam ſingularem unum, quem ignoramus, adſcribere: verùm eundem, quem Heuſſenius, notavi annum, quod hic nihil pronuntiandum cenſeam.

An. 1046. VII. FOCCO Præpoſitus ſub Bernulpho Epiſcopo XX. ut putat Heuſſenius. Utinam docuiſſet ubi hunc repererit! Dedit Buchelius ad Hedam, Chartam *Burchardi* Epiſcopi XXIII. ſed multo recentiorem, utpote anni 1101. in qua lego *Fecconem Præpoſitum* non expreſſo Eccleſiæ nomine. Poſtponitur autem tribus Præpoſitis his verbis: „ Hujus rei teſtes ſunt „ clerici: Rodulphus Præpoſitus, Herimannus Præpoſitus, „ Othelricus Præpoſitus, Focco Præpoſitus, Lambertus „ Magiſter &c. " Adjiciuntur omnes quatuor non additis, ut vides, Eccleſiarum nominibus. Duo priores noti ſunt, nimirum *Rodulphus* Majoris, & *Herimannus* S. Salvatoris Præpoſiti, de quibus, locis ſuis. Si attendamus ad ordinem Eccleſiarum, in actibus publicis ſervari ſolitum, *Focco* ille certo certius an. 1101. non fuerit Præpoſitus Majoris. Et, ſi *Othelricus* Præpoſitus quidem, ſed non unius è quinque Eccleſiis Trajectenſibus fuerit, verùm alterius Eccleſiæ in Dioceſi, puta Embricenſis, Arnhemienſis, Daventrienſis, aut Aldenzahenſis, (hi enim cedebant quidem Præpoſitis Majoris & S. Salvatoris, præcedebant vero Præpoſitos S. Petri,

Ant. Matth. de Nobil. pag. 630.

tri, S. Joannis, & S. Mariæ.) *Focco* ille Præpoſitus fuerit S. Petri, aut etiam S. Joannis, vel demum S. Mariæ. Sed viſo poſtea Drakenburgii catalogo, ubi ex Brockii MS *Focco* præpoſitus ponitur anno 1046. conſentiendum putavi: unde fit ut *Focco* alter ad an 1101. repertus, alterius etiam, quam Majoris Eccleſiæ, præpoſitus fuerit. Quamdiu vetuſta currimus tempora, divinando magis quam aſſerendo nos expediemus.

VIII. Udo Præpoſitus ad annum 1050. apud Hedam in An.
Bernulpho pag. 119. Etiam Drakenburg obſervat *Udonem* ab 1050.
Odone diſtinguendum, ſi *Focco* Præpoſitus Majoris fuerit.

IX. Aufridus. Præpoſitus ponitur ab Heuſſenio ad hunc An.
annum, ſed non eſt dignatus docere nos, unde illum addu- 1063.
xerit. Sed cum in Brockii quoque MS. occurrat, non eſt
expungendus.

X. Ludolphus Præpoſitus apud eumdem, eadem liber- An.
tate, ſed eodem ſucceſſu. 1081.

XI. Lanzo Major Domus S. Martini Præpoſitus Tra- An.
jecti, in Charta apud Buchelium ad Hedam p. 140. quam 1085.
attulit etiam Matth. de Nobil. p. 435. & ſeq. Heuſſen. ſcri-
bit *Lauſo*, & ſe tacitus aufert. In Matthæi catalogo adjici- 1086.
tur annus 1086.

XII. Rodulphus Præpoſitus in Charta Burchardi An.
Epiſc. apud Buchelium ad Hedam p. 145. Et in Charta 1101.
ejuſdem, quæ ibi ſequitur, anni 1105. quam etiam attulit 1105. 1108.
Ant Matth. de Nobil. pag. 556. ſed variantis multum lectio- 1112.
nis, & in qua Præpoſitus noſter vocatur *Rodulfus*. In alia
Charta *Burchardi* quæ eſt anni 1108. apud Hedam quoque
p. 144. ſcribitur *Radulphus*. Beka in Burchardo „ *Rodol-*
„ *phus* Major Præpoſitus a ſuis adverſariis interemptus eſt"
anno ſcilicet 1112. Conſentiunt ejus Interpres Belga, apud
Matth. Analect. tom. 5. p. 67. & Chron. latin. Analect. tom.
9. p. 33. Item Drakenb.

XIII. Litardus Præpoſitus in Charta *Godebaldi* epiſco- An.
pi de ſubjectione quam capitulo majoris debebat capitulum 1116.
B. Mariæ Brugis. V. novam editionem Miræi. p. 961. Hunc
ignorarunt Matth. & Drakenb.

XIV. Mengodus Præpoſitus Majoris Eccleſiæ in Charta An.
Godebaldi apud Buchel. ad Hedam p. 151. & in alia charta. 1118.

pag.

1121. pag. ſeq. *Meingodus*; utraque an. 1118. Profert Heuſſen. in
1122. hiſt. Epiſc. Davent. p. 100. Chartam ejuſdem *Godebaldi* anni
1129. 1121. in qua idem *Mengodus* Major Præpoſitus. Occurrit quoque in duabus chartis *Henrici IV.* alias V. Imp. anni 1122. in nova editione Edictorum provinciæ Ultrajectinæ tom. 2. pag. 322. in fin. & pag. 324. in init. Et in alia anni 1129. quam dedit Ger. Dumbar. Dav. Sacr. & prof. tom. 1. p. 343. ubi ſcribitur *Memgodus*. In Necrologio S. Salvatoris legitur: „ X. Kal. (*Septembres*) obiit *Mengodus* Præpoſitus, qui „ contulit nobis manſum in *Bertangen*, pro quo dantur hic „ ſolidi X. de bonis in *Reynaerſcoep* " Apud Matth. Fund. & fata Eccleſ. p. 96.

Cum ignoretur annus obitûs *Mengodi*, & in Charta *Andreæ* Epiſcopi an. 1131. apud Buchelium ad Hedam p. 162. occurrat *Rengotus* Præpoſitus, licetne quærere an ſit idem, qui *Mengodus*? Drakenburgius non dubitat. Sed difficultas eſt quod charta præferat annum 1131. qui correſpondet anno tertio *Andreæ* Epiſcopi, qui juxta Bockenbergium fuerit annus 1131. Non evadimus, niſi dicendo errorem eſſe in numeris, quod in vetuſtis chartis obtinet ſæpe ſæpius.

Heuſſenius ponit hic loci *Rotardum* Præpoſitum ad annum 1120. de quo ait: „ *Fit tandem Epiſcopus Cameracenſis*; *alibi* „ *ponitur* Lutgardus *eodem anno*, *alibi* Lietgardus " Nihil horum aut Matthæo, aut Drakenburgio, aut mihi occurrit. Moleſtum eſt iſtud *alibi*, dum neſcitur *ubi*. *Lietardus* unus circa hæc tempora fuit Præpoſitus; non Majoris, ſed B. Mariæ, ut infra ſuo loco, qui etiam Epiſcopus Cameracenſis factus eſt.

An. XV. HARDBERTUS Præpoſitus. Sic lego in Charta *An-*
1130. *dreæ* Cuikenſis Epiſc. XXV. anni 1150. apud Buchel. ad He-
1131. dam pag. 161. „ Teſtes de S. Martino *Hardbertus* Præpoſi-
1132. „ tus, *Lutbertus* Decanus. " Hæc eadem Charta præfert
1139. annum 1131. apud Matth. De Jure Gladii pag. 360. Occurrit etiam in Charta anni 1132. apud Matth. Analect. tom. 6. pag. 75. „ *Harbertus* Majoris Eccleſiæ Præpoſitus, *Lutber-* „ *tus* ejuſdem Eccleſiæ Decanus. " Quare exiſtimo mendum ineſſe Chartæ ejuſdem *Andreæ* & ejuſdem anni 1132. apud Matth. Rer. Amersf. pag. 15. unde illa tranſiit apud Heuſſen. in Bat. Sac. part. 2. pag. 148. in qua ſcribitur: „ Inter-

„ fuerunt

„ fuerunt huic noſtræ traditioni *Lubbertus* Præpoſitus Ma„ joris Eccleſiæ, *Luſo* Præpoſitus S. Petri &c. “ & legendum puto: *Lubbertus Decanus Majoris Eccleſiæ.* Nec obſtat quod Decanum Majoris, ſubſequatur S. Petri Præpoſitus, nam, ut ſupra oſtendi, Decanus Majoris præceſſit omnes Præpoſitos tam Civitatis quam Dioceſis, ſolo Præpoſito Majoris Eccleſiæ excepto. Dedit ipſe Heuſſen. in hiſt. Epiſc. Ultraj. pag. 257. & ſeq. Chartam rurſus *Andreæ* Epiſcopi confirmantis Fundationem Abbatiæ Bernenſis, Ordinis præmonſtratenſis, jam Dioceſis Sylvæducenſis; quæ eſt anni 1134. cui ita ſubſcriptum eſt: „ *Harbertus* majoris eccleſiæ 1134.
„ præpoſitus. *Lubertus* ejuſdem eccleſiæ Decanus. “ Et hæc Charta eſt quoque apud Miræum in Dipl. Belg. tom. 1. pag. 173. 174. Inſuper dedit Buchelius ad Hedam p. 160. Chartam anni 1139. munitam his teſtibus: „ Præpoſitis, 1139.
„ *Hereberto* S. Mart. . . . . . Decanis, *Lutberto* S. Martini, „ *Lutberto* S. Petri &c. “ Adeo ut locus eſſe non poſſit *Lubberto qui Præpoſitus Majoris* fuiſſet anno 1132. proinde in Charta quæ una eſt, & per Heuſſenium ex Matthæo deſcripta, legendum patet: *Lubbertus Decanus.* In nullo prorſus catalogo occurrit *Lubbertus* qui Præpoſitus Majoris fuerit ad hæc tempora, & Decanum his temporibus fuiſſe *Lubbertum*, & certum eſt, & infra ſuo loco evidens erit. Non audeo dicere, quod *Hardbertus* & *Lubbertus* ſint eadem nomina, uti eſſe videntur *Odo* & *Udo*; *Gisbertus* & *Giſelbertus*; *Ludovicus* & *Lothvicus.* In tabulis quandoque pro *Lothario*, *Ludovici* nomen ſubſtitutum fuiſſe, docuit me Matthæus Voſſius Annalium lib. 1. pag. mihi 20. De *Hardberto* & *Lubberto* nondum liquet. Heuſſenius ſcribit *Nardbertus.* Sed unde?

Drakenburgius vult, ut *Hardbertus* noſter, ſit *Heribertus van Berom* vel *Bierom*, qui *Andreæ Cuikenſis* ſucceſſor anno 1139. & vigeſimus ſextus epiſcopus Ultrajectenſis, anno 1150. defunctus, ante Præpoſitus Majoris fuerit. Sed hæc fruſtra quæras apud Bekam, Hedam, Buchelium aut Bockenbergium. Matthæus id obiter dixit in notis ad Anonym. de reb. Ultraj. p. 94.

XVI. CONRADUS Præpoſitus, frater *Conradi* III. Ro- An.
manorum Regis, filius S. *Leopoldi pii*, Marchionis Auſtriæ, 1142.
ex *Agnete Henrici IV.* filia, ſextus, minimuſque natu, ex 1145.

ſecundis ſcilicet nuptiis. In primo matrimonio *Agnes* ex *Frederico* Barone, poſtea Duce, Sueviæ, *Fredericum* & *Conradum* Duces, hunc deinde Regem, illum *Frederici Barbaroſſæ* patrem, genuerat, inquit *Mezger* Hiſt. Salisburg. tom. 1. pag. 377. ubi ſingulares *Agnetis* prærogativas his verbis complexus eſt: „ Fuit Imperatoris Henrici IV. filia, Imperatoris Henrici III. neptis, Imperatoris Henrici V. & Conradi Italiæ Regis ſoror, avia Frederici I. Imperatoris, & „ *mater Conradi Romanorum Regis.* „ Igitur *Conradus* Rex, & *Conradus* Præpoſitus, uterini fratres. Præpoſitus a fratre Rege Romam miſſus ad *Eugenium III.* impetravit ab eo confirmationem privilegii ab illo conceſſi Capitulis Majoris & S. Salvatoris, eligendi Epiſcopum excluſo populo & reliquo Clero. Bullam, cui inſerta conceſſio, dedit Heda pag. 163. quæ ſic incipit: „ Supplicatio chariſſimi in Chriſto „ filii *Conradi* tertii Regis Romanorum illuſtris, nobis per „ dilectum filium *Conradum*, *ipſius fratrem*, *veſtræ Eccleſiæ* „ *Præpoſitum*, propter hoc ab eodem Rege ad Romanam Cu„ riam deſtinatum, continebat &c. Hunc ajunt poſtea Patavienſem Epiſcopum fuiſſe, & dein Archiepiſcopum Salisburgenſem: & ita ſimpliciter aſſeruit Heuſſenius in Catalogo, ſecutus Buchelium ad Hedam pag. 168. qui citat Bertium lib. 3. Germ. nempe pag. 658. Sacrum ordinem, & utriuſque Eccleſiæ præfecturam *Conrado* tribuunt Auctores Germani. Marcus Hanſizius Germ. Sac. tom. 1. pag. 310. Hundius in Metrop. Salisburg. antiquæ edit. p. 130. & novæ tom. 1. p. 7. & 206. Mezger cit. p. 403. qui omnes eum faciunt monachum Ordinis Ciſtercienſis, & Abbatem S. Crucis Nidernburgenſis cœnobii, aliquot leucis Vienna diſſiti, ſed de ejus Præpoſitura Ultrajectina ne gry quidem. Fortuito incidi in diploma *Conradi* Regis datum anno Incarn. 1142. cui ſubſcripſerunt teſtes varii, & quarto loco *Conradus frater noſter Trajectenſis Præpoſitus* in Metrop. Salisburg. novæ edit. tom. 3. p. 145. Porro eſt error typi: *Trajecenſis* loco *Trajectenſis*. Sed quid obſtat, quo minus & Monachus, & Abbas, & Præpoſitus, & Epiſcopus fuerit, dum conſtat *Conradum* S. *Leopoldi* filium, Epiſcopum fuiſſe & Abbatem, eumdemque *Conradi III.* fratrem, Præpoſitum fuiſſe Ultrajecti? Certe inter Monachos Admontenſes ex hac

vita

vita diſcedere voluit anno 1168. poſtquam Patavienſi Eccleſiæ annis ſedecim & Salzburgenſi quatuor præfuiſſet. Sat cadit in illius ſeculi conſuetudinem, Princeps, Monachus, Abbas, Præpoſitus, &c. Buchelius diſerte ſcribit, quod *Conrado* in præpoſitura ſucceſſerit, qui ſequitur *Godefridus de Rhenen.* Drakenburgius, quæ de *Conradi* ſtirpe conformia ſcribit, hauſerat ex alio fonte. Nihil dedit quod addendum ſit: nequidem ex appendice Edictorum provinciæ Ultraj. tom. I. p. 752. ubi neſcio quas correctiones & additiones daturus, deſtruit quæ recte catalogo inſeruit. Quis enim ferat doceri ſe, quod *Conradus* factus ſit Præpoſitus Majoris anno 1148. vel 1149. quem talem fuiſſe triennio aut quadriennio ante, non audeas negare?

XVII. GODEFRIDUS DE RHENEN fuit Præpoſitus Majoris anno 1154. in catalogo Matthæi, & anno 1155. in Charta *Hermanni* Epiſcopi, quam dedit idem Matth. de Jur. Glad. p. 119. & ſeqq. Factus eſt Epiſcopus Ultrajectinus anno 1156. juxta Bekam & Hedam. Unde corrigendus Joannis Bekæ interpres Belga, qui ejus epiſcopatum refert ad an. 1171. apud Matth. Analect. tom. 5. pag. 80. In Chronico latino eſt an. 1156. Analect. tom. 9. p. 37. Porro eſt ſecundus, qui per duorum capitulorum ſuffragia, Majoris nempe, & S. Salvatoris, id faſtigii aſcendit. Laudatur *Godefridus* epiſcopus, uti vir ingentis animi: donavit capitulo Majoris oppidum *Rhenen*, unde ortum traxit & nomen. Obiit anno 1177. juxta Bekam: anno 1188. juxta Hedam, & Bockenb. Addit Buchelius, giganteæ ſtaturæ hominem fuiſſe, ut ex ipſius capitis cranio, aliiſque oſſibus olim, ſe adoleſcente, anno nempe 1580. ſepulchro erutis, apparuit.

An. 1154. 1155.

XVIII. GODEFRIDUS Præpoſitus anno 1156. ſubſcripſit Chartæ *Godefridi* epiſcopi apud Matth. de Nobil. p. 459. Cognomen, ſi quod habuit, ignoro. Non refert quod ejuſdem cum epiſcopo nominis ſit. An qui in hac Charta loquitur epiſcopus, etiam tamquam Præpoſitus ſit teſtis, & eidem ſubſcribat? Non arridet. Scio A. Matthæum pag. præced. nempe 458. huic Chartæ attribuiſſe annum M. C. LXI. Sed malè. Neque enim ille fuit annus *Godefridi* epiſcopi *primus*, quem Charta perſpicue notat. Et ut non male ſcripſiſſet, ſemper foret Charta *Godefridi* epiſcopi. In numeris plu-

An. 1156.

rimus eſt error apud Matthæum. An hic error nominis? Apertè dicitur: *Anno Dni M. C. LVI. . . . Epiſcopatus Dni Godefridi I. præſentibus teſtibus ſubſcriptis, De majori eccleſia Godefridus præpoſitus, Azelinus Decanus.* Quid implicat, *Godefrido Rhenenſi* anno 1156. epiſcopo facto, mox ſucceſſiſſe ejuſdem nominis Præpoſitum *Godefridum* alterum? Ad hæc non advertit Drakenburgius. Et res confecta eſt ex Necrologio S. Salvatoris apud Matth. Fund. & Fata p. 96. ubi lego hæc: *XVI. Kal.* (Septembres) *obiit Godefridus præpoſitus S. Martini.* Numquid ſi de *Godefrido Rhenenſi* ageretur, Necrologus ſcripſiſſet: *Obiit Godefridus Epiſcopus Trajectenſis?*

An. XIX. Arnoldus Præpoſitus. Heuſſen. in Catalogo, *Ar-*
1169. *noldum* hunc inter *Lanzonem* & *Rodulphum* interſeruit ſine die,
ſine Conſule, & monuit ad calcem paginæ, quod in Catalogo Matthæi poſtponatur *Godefrido de Rhenen.* Et quare ipſe antepoſuit? Non loquitur. Mavult conjecturis fatigari nos, quam a ſe doceri. Exſtat Charta *Godefridi* Epiſcopi apud Matth. in Notis ad Anonym. de rebus Ultraj. pag. 100. quæ eſt anni 1169. & pag. 102. & 103. Charta *Balduini de Hollandia* Præpoſiti B. Mariæ ſub *Godefrido*, & ejuſdem anni 1169. in quibus utrimque primus teſtis eſt, *Arnoldus Majoris Eccleſiæ Præpoſitus.* Dedit Buchelius ad Hedam pag. 175. & ſeq. aliam Chartam ejuſdem iterum *Godefridi* Epiſcopi, nonnihil a vetuſtate conſumptam, quam putat circa an.
1170. 1170. datam, in qua diſerte primus teſtis adſcribitur *Arnol-*
dus Præpoſitus. Poſtponendus proinde *Godefrido de Rhenen.* Non invenio annum obitus, diem habe ex Necrolog. *S. Salvatoris*: „ II. Kal. (*Decembres*) Andreæ Apoſtoli. Obiit „ Arnoldus Præpoſitus S. Martini. “ Fund. & Fat. pag. 106.

An. XX. Symon Majoris Eccleſiæ Præpoſitus occurrit in
1174. Charta *Balduini de Hollandia*, Præpoſiti B. Mariæ ſub *Gode-*
1176. *frido* Epiſcopo, fundantis diſtributiones in anniverſario die
1178. fratris ſui *Franconis* ſacerdotis, & ſuiipſius. Apud Matth.
in notis ad Anonym. de rebus Ultraj. pag. 103. & 104. In append. Edictor. Ultraj. tom. 1. pag. 752. col. 2. dantur huic anni 1174. 1178.

An. XXI. Theodoricus *de Hollandia* Præpoſitus, frater *Bal-*
1178. *duini* Epiſcopi XXIX. & *Florentii* Comitis Hollandiæ. Beka,
1196. Heda ejuſque interpres Belga, apud Matth. Analect. tom. 5.

p. 88.

p. 88. in Chron. latin. Analećt. tom. 9. pag. 39. Et in Chron. Wilhelmi Egmond. Analećt. tom. 4. p. 55. 57. Et de illo meminit Matth. Voſſius Annal. lib. 2. ad annum 1195. ubi eum nominat Archidiaconum, & rurſus ad annum 1197. Etiam Jo. a Leidis lib. 19. cap. 7. Anno 1196. ſubſcripſit Chartæ quam dedit Matth. de Jure Glad. p. 382. & eodem anno a quibuſdam electus eſt Epiſcopus poſt obitum fratris ſui *Balduini*, ſed in diſcordia, & contra *Arnoldum de Iſenburch*, Præpoſitum Daventrienſem. Uterque Romam profectus eſt, & primo *Arnoldus* Epiſcopatum obtinuit, quo Romæ defuncto, *Theodoricus* anno 1198. ex *Innocentii* III. decreto conſecratus fuit, & cum ad ſuos rediret in itinere mortuus eſt eodem anno Papiæ ſive Ticini, non Paduæ aut Patavii, ut male Bockenberg. à Buchelio ad Bekam correctus.

XXII. Florentius *de Hollandia* Præpoſitus, frater *Wilhelmi* Comitis Orientalis Friſiæ, & *Theodorici* Comitis Hollandiæ. Beka, & Heda in *Theodorico* II. Subſcripſit duabus Chartis, inquit Matth. Analećt. tom. 4. p. 366. donationem continentibus Cœnobio factam Rynsburgenſi, quas ait, ſervare ſe ineditas. Sunt de annis adjectis. Ceterum refert Beka, quod an. 1203. a *Theodorico* Epiſcopo captus *Florentius* in bello, quod pro fratre *Wilhelmo* contra Comitem Loſſenſem geſſit, in Caſtro de Horſt cuſtodiæ traditus fuerit. Annus obitus nondum occurrit. In Necrol. S. Salv. ita lego ad VII. Kal. Novemb: „ Memoria *Florentii* Præpoſiti „ Majoris, Canonici noſtri, presbyteri: “ & rurſus VI. Kal. Decemb. An. 1199. 1201. 1203.

XXIII. Ludovicus Majoris Eccleſiæ in Trajecto Præpoſitus, ſubſcripſit tabulis pacis & concordiæ initæ inter *Theodoricum* Epiſcopum & Comitem Loſſenſem. Apud Buchel. ad Hedam pag. 191. Heuſſen. in Catalogo ita ſcribit: „ Eo anno (1204) etiam quidam *Ludovicus* Major. Præpoſitus præfuit, qui dedit Decano & Capitulo liberam poteſtatem inſtituendi Sacerdotes in 4. Eccleſiis Parochialibus. “ Utinam indicaſſet unde hæc ſumpſerit! Dedit ipſe (ſcilicet ex Lindebornio) in Hiſt. Epiſc. Daventr. p. 31. Chartam Ottonis III. Epiſc. Ultraj. anni 1240. in qua ſit mentio *Lodowici majoris Præpoſiti Traject.* tunc defuncti, qui fuit frater An. 1204.

Ottonis Electi Trajectenſis, id eſt, primi, & avunculi hujus Ottonis III.

An. XXIV. OTTO Dei gratia Major in Trajecto Præpoſitus.
1205. Ita in Charta ejuſdem anni, recognita per *Ottonem* Epiſc. Traject. III. an. 1245. Apud Matth. Analect. tom. 6. a pag. 133. An hic fuerit frater *Ottonis* Gelriæ Comitis, & electus Epiſcopus Trajectenſ. XXXIII. ætatis ſuæ anno 24. juxta Hedam & fuerit Otto. I. qui numquam fuit confirmatus, ſed obtinendæ ſuper ætate diſpenſationis gratia, Romam profectus, obiit in. itinere, non ſatis conſtat, neque etiam de anno obitûs, quod hic confuſam eſſe Hiſtoriam Buchelius moneat. Heda Ottonem I. ſimpliciter Præpoſitum nominat, quod ſemper, raro aliter, ſignificat *Præpoſitum Majoris*. Sed Beka *Ottonem* I. Zantenſem Præpoſitum dicit. Quare nolui duos *Ottones* Præpoſitos facere, & cum hoc conſtet, *Ottonem* II. hujus nominis Epiſcopum, etiam Præpoſitum Majoris fuiſſe, uti diſerte habent Beka & Heda, qui ambo eumdem vocant *Ottonem de Lippia*, unico *Ottone* Præpoſito contentus ſum. Electus eſt Epiſcopus juxta Bockenberg. an. 1213. & obiit an. 1227. unde in Necrolog. S. Salvat. male legitur: „ V. Kal. (*Auguſti*) ann: CIↃ. CCC. XXVII. (*legen-* „ *dum*: CIↃ. CC. XXVII.) obiit *Otto* Epiſcopus Trajectenſis „ apud Coeverden interfectus, & nobiles cum eo. Hic „ dantur X. Solidi de areis ſuper foſſatum. “ De cruenta cæde Epiſcopi vide Bekam. In eodem Necrolog. *Ottonis* primi obitus dies, non annus notatus eſt: „ Kal. Septem- „ bris obiit *Otto* Electus, qui contulit nobis dimidium man- „ ſum apud Scalcwyc. “ Dimidium manſum ſunt ſex *jugera* ſeu *bonnaria*, ſi *jugerum* & *bonnarium* idem ſint. Vide Gloſſar. du Cange. Porro *Otto I.* fuit avunculus *Ottonis III.* & frater *Ludovici* Præpoſiti, uti teſtatur Otto III. in Charta de anno 1240: „ Statuimus etiam ut de Decima jam dicta, „ in anniverſario Avunculi & prædeceſſoris noſtri, Domini „ *Ottonis Electi* Trajectenſis, quinque ſolidi, & fratris ſui „ Domini *Lodowici* Majoris Præpoſiti Trajectenſis, quinque „ ſolidi, Canonicis præſentibus exhibeantur. “ Hiſt. Epiſc. Daventr. apud Heuſſen. p. 31.

Ceterum illud unum puta: *Ottonem* Præpoſitum Majoris, non

non eſſe alium ab *Ottone II.* Epiſc. Ultraj. Drakenburgius difficultatem non cognovit. Et meum quidem ſyſtema confirmatur ex auctore incerto de rebus Ultrajectinis apud Matth. pag. 13. in fine. *Otto ſecundus, major Trajectenſis præpoſitus, frater Hermanni de Lippia, filius ſororis Epiſcopi Theodorici, eligitur in epiſcopum Ann. Domini MCCXV.* Obiit anno 1226. 1215.
ibid. p. 21.

XXV. Wilbrandus, filius Comitis de Eldenborch (Joan. 1224.
a Leidis lib. 22. cap. 5.) fuit Præpoſitus Majoris tempore *Ottonis II.* Sed incompertum quo anno. Pono annum 1224. tum quia *Theodoricus*, qui ſequitur, jam erat Præpoſitus anno 1225. tum etiam quia *Wilbrandus non multo ante* quàm Epiſcopus fieret, Præpoſitus electus fuit. Factus eſt autem epiſcopus Paderbornenſis anno 1225. & Ultrajectenſis anno 1226. vel juxta Bockenbergium an. 1227. Porro idem auctor incertus apud Matth. de rebus Ultraj. p. 22. ita habet: *ab omnibus convenitur in Dominum Wilbrandum Paderburnenſis Eccleſiæ tunc Epiſcopum. . . . . Notus etiam fuit Trajectenſi Eccleſiæ, quia major pars Capituli eum quandoque, imo non multo ante, in majorem elegerunt præpoſitum. Erat etiam tunc Præpoſitus Sutphaniæ. Et ſex annis in Hildenſemmenſi eccleſia majori præfuerat præpoſituræ, de qua in Paderburnenſem vocabatur epiſcopatum.* Et hic eſt primus a quinque capitulis electus epiſcopus Ultrajectinus.

XXVI. Theodoricus Præpoſitus. In Charta *Ottonis* An.
II. anni 1125. vocatur *Theodoricus Marchio.* Nec amplius. 1225.
V. Matth. de Jur. Glad. p. 425. Eſt Charta ejuſdem *Ottonis II.* 1227.
ſuper controverſia inter Capitulum B. Mariæ, & Comitem 1228.
de Goye, de decimis de *Hautem* vel *Halten*, & locis vici- 1240.
nis, quæ apud Buchel. ad Hedam pag. 203. præfert annum 1228. apud Matth. de rebus Ultraj. pag. 159. an. 1227. qui annus ſibi dubius viſus eſt; apud eumdem de Nobil. p. 798. præfert an. 1220. & ibid. p. 1061. annum 1228. in qua eſt *Theodoricus* Major Præpoſitus. Eſt præterea Charta *Ottonis III.* electi de anno 1240. a Lindebornio data, apud Heuſſen. Hiſt. Epiſc. Davent. p. 31. in qua *Theodericus Præpoſitus.* Ipſe vero in Catalogo ſuo ita ſcribit: „ *Theodoricus* de *Randerode* præfuit anno 1227. & 1247. ⊖ 30. (*id eſt*, „ *obiit an.* 1230.) cujus ſigillum anno 1239. lib. alb. X. „ fol. 14. " Quomodo Heuſſenius, ſtatuens *Theodoricum de*

Ran-

Randerode obiiſſe an. 1230. repererit ejus ſigilium appenſum anno 1239. id equidem non ſatis intelligo. Porro conſequens videtur, ut qui ad an. 1240. memoratur *Theodoricus* Præpoſitus, alius ſit a *Theodorico de Randerode*. Nihil hîc pro certo. Drakenburgius idem cognomen adjecit, ſed pace ejus dixerim, nihil probavit, & forte ſecutus eſt Heuſſenium, a quo dum ſingularis eſt, cavendum maxime.

An. 1240. XXVII. THEODORICUS *de Wyckerade*. Huic dedit Heuſſen. annum. 1247. Non occurrit mihi niſi annus 1240. in Charta *Ottonis III.* jam citata ex Hiſt. Epiſc. Daventr. p. 31. De cognomine viderit ipſe.

An. 1249. XXVIII. GOBERTUS DE PERWEYS, filius *Guilielmi*, cujus pater erat *Godefridus III.* Dux Lotharingiæ & Brabantiæ (Miræus novæ edit. tom. 1. p. 775. Butkens nov. edit. tom. 1. p. 627. 628. & in eodem tom. in probat. p. 226) fuit Præpoſitus Majoris. Ita Heuſſenius & Drakenburgius, qui nihil probant, ubi maxime probandum eſſet. Occurunt eodem tempore *Guibertus*, *Gobertus*, *Godebertus*, *Giſelbertus & Gysbertus*. Vel oſtendendum eſt, omnia nomina hæc uni ſoli convenire, qui Præpoſitus Majoris fuerit, vel ſilendum eſt de omnibus. Drakenburgius indicare contentus, quod Miræus *Guiberti* vel *Godefridi* genus paternum uno in loco, & maternum in alio loco retulerit, quaſi re bene geſta, abripit ſe aliò. Sed hoc primo falſum eſt, quod Miræus de *Guiberto* vel *Godefrido* præpoſito meminerit. Non meminit ille niſi de *Godefrido Guilelmi Perveſii* Domini primogenito, ſed Butkens loc. cit. p. 628. oſtendit, *Gobertum de Perweys* fratrem eſſe *Godefridi* prædicti.

1250. Buchelius ad Hedam p. 221. & iterum p. 251. profert Chartam quæ incipit his verbis: *Henricus Dei gratia Trajectenſis Eccl. epiſcopus & G. major ejuſdem Eccleſ. Præpoſitus omnibus præſentia viſuris ſalutem in Domino. Noverint univerſi quod Nos Præceptori & fratribus domus Theutonicæ S. Mariæ Tr. liberam conceſſimus facultatem ædificandi intra muros Trajectenſes juxta eccleſiam S. Nicolai. . . . . Actum anno Domini M. CCL. in craſtino B. Andreæ Apoſtoli*: Buchel cit. p. 221. majuſculam G. initialem nominis quod quærimus, interpretatur *Gobertum*; Heuſſenius in Bat. Sac. part. 1. p. 163. col. 1. in princ. *Gysbertum*, & in catalogo ſcribit *Godebertum Parwys.*

Anno

Anno 1252. *Conradus* Archiepiſcopus Colonienſis, hanc 1252.
Epiſcopi & Præpoſiti Ultrajectenſis conceſſionem auctoritate Metropolitica confirmat, dato diplomate in quo eſt *Guibertus præpoſitus* apud Matth. Fund. & Fata p. 566. Jam hoc unum confectum eſt: Anno 1250. 1252. Præpoſitum Majoris appellatum fuiſſe *Guibertum.*

Anno 1255. *Henricus III.* Dux Brabantiæ *nobili viro dilecto* 1255.
conſanguineo ſuo Domino Goberto de Perweys Præpoſito Nivellenſi conceſſit commune ſive Waſtinam &c. Butkens tom. 1. in Probat. p. 226.

An. 1257. *Gobertus de Perweis præpoſitus Eccleſiæ Antver-* 1257.
pienſis conſenſit in extinctionem Præpoſituræ, & commutationem Præpoſiti in Decanum. Apud Miræum nov. edit. tom. 2. p. 1002. col. 2. Grand Theatre ſacré du Duché de Brabant tom. 2. p. 29. 30.

An. 1264. *Gobertus de Perweys Dei gratia Nivellenſis &* 1264.
Antverpienſis præpoſitus omnibus &c. Butkens ſup. p. 226.

An. 1265. *G. de Perwes Dei gratia majoris eccleſiæ Trajecten-* 1265.
ſis præpoſitus & Archidiaconus, univerſis &c. Hiſt. epiſc. Ultraj. p. 419. col. 1.

Et ita quidem confecta videntur omnia. Mathias Balen in deſcriptione oppidi Dordraceni, in ſtemmate familiæ *Pyll* pag. 1191. teſtatur Hermannum Pyll occurrere *in litteris* Godeberti *præpoſiti Majoris Traject. de anno* 1249. *ex Archiv. Eccleſiæ S. Salvatoris Traject. & authent. Prob. lx.* 64. De eodem *Godeberto* in catalogo Heuſſenii eſt citatio ſimilis quæ
non intelligitur: *Præfuit anno* 1263. *& adhuc* 1266. *lib. alb.* 1263.
x. 40. In catalogo Matthæi ſcribitur *Giſelbertus*, & tribuitur 1266.
annus 1250. de quo dubium non ſupereſt.

Adſcribo proinde annos 1249. 1250. 1252. 1255. 1257. 1263. 1264. 1265. & 1266. Sed Drakenburgio non concedo, *Gobertum* hunc, quamtumvis multinominem, appellatum fuiſſe *Godefridum*; adeoque diem obitus, quem ſtatuit ipſe, non huic Præpoſito, ſed alteri, ſeculo integro anteriori, *Godefrido* convenire.

Drakenburgius ex Matthæi catalogo ſubjicit *Lubbertum* Præpoſitum ad an. 1252. Sed is locum habere non poteſt. Patet clare catalogum hîc eſſe vitioſum, dum *Giſelberto* annum 1250. dumtaxat, & huic *Lubberto* annum 1252. ſtatim

tribuit. Catalogus Heuſſenii etiam magis aberrat dum ita procedit: *Giſelbertus* 1250. *Lubbertus* 1252. *Godebertus Parwys* 1263. 1266. Patet abundare *Lubbertum*, dum ſemel conſtat (quod jam probatum eſt) *Giſelbertum* & *Godebertum*, non duos eſſe, ſed unum.

An. 1270. XXIX. Bartholomæus van Wassenaar, nec Matthæo, nec Heuſſenio, nec Brockio cognitus, a Drakenburgio inter Præpoſitos collocatus, ob Bockenbergii auctoritatem, a me præteritus fuiſſet, quod hoc ſolus dicat, & obiter, & non data opera. Sed adduxit enimverò Drakenburgius etiam Simonem van Leuwen in Batav. illuſtr: qui pag. 1294. tradit *Bartholomæum* dominum Cranenburgii, filium *Theodorici van Waſſenaer* & *Bertæ van Teylingen*, conjugem habuiſſe *N. van Bleyſwyck*, (ex qua Cranenburgica familia jam diu exſtincta) qua mortua factus ſit Præpoſitus majoris eccleſiæ Ultrajecti. Hunc ego ſcriptorem nihil morarer, quod multa dicat, & nihil probet, ſibique parum conſtet, utpote qui ſupra pag. 1148. eumdem *Bartholomæum*, non jam præpoſitum, ſed Decanum majoris fuiſſe ſcribat. Verùm Bockenbergius in *hæroibus Waſſenaræ* p. 136. & 137: ſcribit *Bartholomæum Martiniano præpoſitum ex quo Cranenburgii*; nec plura. Neuter addit quo tempore præfuerit, nec illud divinare valuit Drakenburg. Appoſui annum 1270. tum ut a *Goberti Perveſii* tempore recederem parumper, tum ne tangerem *Adolphum de Waldeck* qui anno 1280. Præpoſitus fuit ſi non etiam ante.

An. 1280. XXX. Adolphus de Waldeck Præpoſitus. Beka in Guidone. Heda ſcribit *Rodulphus*, ſed male, correctus propterea a Buchelio ad Hedam. Qui ad Bekam pag. 109. diſerte ſcribit, eum fuiſſe ab an. 1280. Præpoſitum Majoris. Matthæus Voſſius annal. lib. 6. ad an. 1301. *Rudolphum* appellat. Heuſſen. in Catalogo ei tantum aſſignat an. 1287. & ſubjicit peregrinam notam ſuam: ⊖ 28. An obiit *Adolphus* an. 1228. qui anno 1287. juxta ipſum factus eſt Præpoſitus? Hæc prætereo, ne videar redarguiſſe minima. Occurrit ad an. 1289. in Charta apud Buchel. ad Hedam p. 225. „ Anno 1301. a quibuſdam electus eſt, *inquit*, Epiſcopus „ Trajectenſis contra *Guidonem Hannonium*, qui prævaluit. *Recte.* “ Et eodem anno electus eſt Epiſcopus Leodienſis “. Male.

Male. Non electus, ſed cum eſſet Romæ, per *Bonifacium VIII.* eccleſiæ Leodienſi præfectus fuit. Vide Buchelium ad Hedam pag. 231. & Hocſemium Cap. 25. qui eſt apud Chapeavillæum tom. 2. p. 336. Obiit non eodem anno 1301. (veneno, ut volunt, exſtinctus) ſed anno 1302. exeunte, ut eſt in ejus epitaphio in Gall. Chriſt. nov. edit. tom. 3. col. 893. E. Nomen ejus diverſimode ſcriptum reperi. Nam in Rer. German. ſcript. a Meibomio editis, tomo 1. pag. 395. in Chron. Comit. de Marka ita lego: *Eodem anno* (nempe 1301) *Hugo de Cabillone, Epiſcopus Leodienſis ad Eccleſiam Biſuntinam transfertur:* & Adolfus de Waldegge *præpoſitus Trajectenſis Eccleſiæ Leodienſi per Bonifacium octavum præficitur.* In catalogo Præpoſitorum B. Mariæ infra n. XIV. ſcribitur *de Waldege.* Porro notat Henricus Meibomius ſenior, loc. cit. pag. 421. lin. ult. quod *Adolphi* mater *Helena*, fuerit filia Marchionis Brandenburgenſis.

Circa duos proxime ſequentes Præpoſitos, magna eſt confuſio, & ex permutatione commixtioneque nominum familiæ *Hornanæ*, multa obſcuritate involutus eſt ordo, quo quis cui ſucceſſit. Drakenburgius vidit difficultatem, ſed eam ſuperare non valens, rem intricatam reliquit. Ponit ipſe *Giſelbertum* Præpoſitum ad. d. 7. Maji 1303. *Wilhelmum de Horne* ponit hujus ſucceſſorem, quem occubuiſſe dicit anno 1304. in Duvelandia; tum ſubjicit *Engelbertum de Horne* ad annos 1306. & 1311. adnotans tamen, quod Buchelius hunc tertium afferat fuiſſe Præpoſitum ab an. 1302. uſque ad 1307. quo laqueo adeo impeditur, ut fateatur neſcire ſe, quid de duobus prioribus ſtatuendum ſit: & tamen, ſtante hac implicatione, ſubjicit *Theodoricum* Præpoſitum, ſine anno aut die. Heuſſenius aliam ingreditur viam, in qua nec caput nec pes apparet, ut ſunt pleraque ejus. En ejus ordinem: „ *Engelbertus* Præpoſitus & Arch. Traj. in litteris de anno „ 1302. lib. alb. 71. *Engelbertus*, alibi *Wilhelmus* de Hoorn, „ obiit 20. dec. *Wilhelmus de Hoorn* Præpoſitus anno 1304. „ occubuit bello Zelandico ſecundum Hedam. *Theodoricus.* " De hoc ultimo non habet, quod adferat. Adde jam quod *Engelbertus* & *Theodoricus* in Brockii MS. occurant, *Wilhelmus* non item. Adverte pariter, quod Buchelius *Wilhelmum* rejecerit, dum ad Hedam ſcribens p. 233. teſtatur,

vidiſſe ſe litteras in Archivis majoris Collegii, quibus conſtat anno 1302. *Engelbertum ejus fuiſſe præpoſitum & Archidiaconum.* Denique conſule ſtemma Hornenſe apud Chriſtophorum Butkens Trophées de Brabant tom. 2. p. 99. & patebit *Wilhelmum de Horne* fratrem quidem *Engelberti* & primogenitum fuiſſe, ſed conjugatum & mortuum anno 1301. ſine liberis. *Engelbertum* vero Præpoſitum Majoris, & *Theodoricum* Præpoſitum S. Salvatoris fuiſſe: quibus ita cognitis omnis evaneſcit difficultas: nam qui ſupereſt *Giſelbertus*, quis non videat eſſe eumdem qui *Engelbertus*? Igitur *Adolpho de Waldeck* ſucceſſerit.

An. 1302. XXXI. ENGELBERTUS ſeu GISELBERTUS DE HORNE Præpoſitus, apud Brockium (à Drakenburgio
1303. allatum) die 7. Maji 1303. & juxta Heuſſenium ex lib. alb. 71. an. 1302. eſtque idem qui in bello Zelandico apud Duvelandiam occubuit, ut perſpicuè habes apud Butkens d. p. 99. his verbis: *Engelbert Chanoine & Archidiacre a Utrecht tué*
1304. *en Duvelande* 1303. Scribendum fuerat 1304. uti Beka p. 106. Heda p. 230. Chron. Wilhelmi Egmond. Analect. tom. 4. pag. 141. Joan. Bekæ interpres Belga. Analect. tom. 5. p. 197. & in Chron. latin. Analect. tom. 9. p. 122 Qui omnes Præpoſitum Majoris apud Duvelandiam cæſum, appellarunt *Wilhelmum*, quod nomen jam diximus Brockio fuiſſe incognitum, à Buchelio correctum permutatumque in *Engelbertum*, conſentiente & conſonante Chriſtophoro Butkens.

Supereſt difficultas una, ſi tamen difficultas eſt. Buchelius ſup. cit. ad Hedam p. 233. affirmat, *Engelbertum* anno 1307. eadem functum eſſe dignitate, quod *in ſtemmate Hornenſi à Rietwico curioſe ſatis collecto, diſcere ſit.* Rietwici opus quamvis diu conquiſitum, obtinere non potui, ſed id ex illo male collegit Buchelius, & ex ſtemmate Hornenſi apud Butkens, *Engelbertus* anno 1303. in Zelandia occubuit. De *Wilhelmo* non affirmaret eum anno 1307. ſuperfuiſſe, quem vidit exſtinctum: cum igitur contendat eum qui exſtinctus eſt, non *Wilhelmum* ſed *Engelbertum* appellari, male collegit hunc anno 1307. ſuperfuiſſe. Superfuit ſane ex Hornenſi familia Præpoſitus alter, quem invenire difficile non ſit, nempe.

An. 1304. XXXII. THEODORICUS DE HORNE, *Engelberti* frater,

ter, Præpoſitus Majoris in MS. Brockii apud Drakenburgium, & Heuſſenium; qui ex Rietwico colligitur hac dignitate functus an. 1307. nec non annis 1306. & 1311. 1306.
qui per Brockium *Engelberto* adſcripti, Drakenburgio movemoverunt moleſtiam. 1307. 1311. Erat *Theodoricus* ille Præpoſitus S. Salvatoris apud Butkens tom. 2. p. 66. & quidem ab an. 1293. ut habet tom. 1. in Probat. p. 132. Mortuo *Engelberto* factus eſt Præpoſitus Majoris. Unde enim *Theodoricus* in MS. Brockii poſt *Engelbertum*? Et hoc quidem eſt ſyſtema meum, ſive conjectura. Adſerat meliorem alius: cui ſpondeo & laudem & palmam.

Huic *Theodorico* ſubjicit Heuſſenius: *Jacobum Oſthornicum qui deinde an.* 1322. *eligitur epiſcopus.* Hæc enimvero indiligentia condonanda non eſt. *Jacobus* ille Decanus Majoris fuit non Præpoſitus. Videatur ipſiusmet catalogus Decanorum. Hunc lapſum vidit Drakenburgius, ſed cavit imitari. *Theodorico* ſucceſſit *Florentius de Jutphaas.*

XXXIII. Florentius de Jutphaas, Præpoſitus. An.
Beka in Guidone Epiſc. p. 108. Et in *Jacobo de Outshoorn.* 1311.
Epiſc. p. 112. ubi Buchelius aſſeverat, illum ex nobili Jut- 1312. 1317.
faciorum familia ortum, cujus in ſummo templo ſepulchrum 1318.
ſuis diebus ſupererat. Occurrit apud Joan. Bekæ interpretem 1322.
Belgam Analect. tom. 5. p. 207. In Charta *Guidonis* apud 1333.
Matth. de Jure Glad. p. 116. & in alia Charta ejuſdem ibid. p. 361. & ſeq. ad annum 1311. Invenio illum quoque in teſtamento *Gerardi Albi* Canonici, quod eſt conditum 8. Decembris 1312. & editum ab A. Matth. in Collectione Epiſtolarum Andreæ Alciati & aliorum pag. 508. 509. Occurrit præterea ad an. 1313. in Charta apud Miræum in nova Collect. Diplom. tom. 2. p. 429. Exſtat Charta ipſius *Florentii* Præpoſiti de anno 1317. apud Matth. de Nobil. p. 548. Occurrit in teſtamento *Gerardi de Reden* Præpoſiti S. Joannis de 26. Junii 1318. quod eſt in Matth. Collect. ſup. cit. p. 516. Porro interfuit electioni *Jacobi de Outshoorn* quæ contigit anno 1322. & in Inſtrumento electionis legitur *Florentius de Jutfaes Præpoſitus & Archidiaconus Majoris.* Analect. tom. 1. p. 189. In Charta anni 1333. quæ eſt apud Matth. de Jur. Gladii. pag. 523. lego: *Florens by der gnaden Gods*

 Dom-

Domproeſt t'Utrecht. Porro in Charta anni 1338. quæ eſt ibid. p. 118. refertur ante defunctus, nempe 20. Martii 1337. ſi Heuſſenio credimus in Catalogo. Condidit teſtamentum anno 1333. quod edidit Matth. in Collect. Epiſt. Alciati & aliorum pag. 536. & quod ſubſcripſit his verbis: *Nos Florentius Dei gratia Præpoſitus & Archidiaconus Trajectenſis.* Scribit Drakenburg. quod patris ejus mater, filia notha eſſet *Florentii* Comitis Hollandiæ, a quo hic Præpoſitus noſter, & alii poſt eum, *Florentio* nomine donati ſint. Fratrem habuit *Henricum* Decanum Majoris, juxta Drakenburgium: quod mihi non videtur ex *Florentii* Præpoſiti teſtamento, in quo nominatur *Henricus* ſæpe, numquam frater dicitur. Porro obiit anno 1337. Brockio confirmante. Diem habe ex Necrologio S. Salvatoris: v. Kal. (Aprileis) *obiit* Florentius de Jutfaes *præsbyter*, *præpoſitus eccleſiæ majoris*, *Concanonicus noſter.*

An. 1337. 1338. 1343. XXXIV. HEINRICUS DE MIERLAER præpoſitus, nobilis Gelrus, inquit. Drakenb. Fundationi Capituli Amersfortenſis a *Joanne Diſthenſi* Epiſcopo XLV. factæ, conſenſum ſuum præbuit anno 1337. quod infra ejus Archidiaconatus limites Eccleſia Amersfortenſis conſiſteret. Chartam dedit Matth. Rer. Amersfort. p. 210. & ex illo Heuſſ. in Bat. ſac. part. 2. p. 132. & ſeqq. In ſententia ejuſdem *Joannis* Epiſcopi, quam ex compromiſſo dedit an. 1338. lego, *venerabilem virum, D. Henricum de Mierlaer Archidiaconum Eccleſiæ noſtræ.* Matth. de Jur. Glad. p. 605. Idem cognomen occurrit in ſtatutis MSS. ad an. 1343. uti citat. Matth. de Nobil. p. 615. Proinde vixit ſub *Nicolao de Caputiis*, & ſub *Joanne van Arckel* Epiſcopis, ſecundum Bockenbergii Chronologiam, quam ſequimur. Profert Matth. inter Epiſtolas Andreæ Alciati aliorumque Chartam anni 1362. in qua laico venditur domus quam inhabitarat *Henricus van Mierlaer* Præpoſitus tunc mortuus. V. Collectionem epiſt. jam dictam. p. 514. Obiit 21. Januarii
1362. anno 1362. uti ex MS. Brockii Drakenburg. Quocirca dicenda ſunt duo.

Heuſſenius in Catalogo ſuo, loco hujus Præpoſiti ponit *Henricum de Nieuland* quem electum ſcribit anno 1337. & obiiſſe anno 1362. Satis apparet errorem eſſe cognominis dumtaxat, reliqua enim concordant. Sed *Henricum de Mierlaer* poſtea

poſtea inventum, poſtponit *Swedero Uterloe*, ſecutus Matthæi catalogum hoc loco vitioſum.

Præterea ex Pontano obiter loquitur *Joannem Meliardtium* Præpoſitum Majoris in hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 252. col. 1. ſed eum catalogo ſuo non inſeruit. Pontani verba ſunt in hiſt. Gelr. lib. 7. p. 270. *Inter cæteros mortalitatem hoc circiter tempore* (1356 vel 1357) *compleviſſe comperio virum ſummum* Johannem Moliardt *præpoſitum Trajectenſem Reinaldi primi Ducis* (*Gelriæ*) *dum eſſet in vivis, primarium conſiliarium, quæſtoremque redituum totius Gelriæ Ducatus &c.* Sed errat, & cum illo Heuſſenius. Vidit Chartam *Joannis Diſthenſis*, Epiſcopi Ultrajectini XLV. qui anno 1336. *Rainaldo* Duci oppignoravit totam Tranſiſalanam provinciam pro quadraginta tribus millibus librarum Turonenſium, cui Chartæ ſubſcripſit *Johannes Moliaert præpoſitus Arnhemienſis, Archidiaconus in majori eccleſia Trajectenſi.* Hic Præpoſitum Majoris vidiſſe ſe putavit Pontanus. Nugæ! Præpoſiti Arnhemienſis, Daventrienſis, Aldenzalienſis, Embricenſis &c. erant archidiaconi *in eccleſia Trajectenſi*, ſolus Præpoſitus Majoris erat *Archidiaconus Trajectenſis.* Hæc quia ſæpius uſu veniunt, notaſſe juverit. Chartam *Joannis Diſthenſis* vernaculo ſermone edidit *Gerhardus Dumbar* Analect. tom. 2. pag. 265. Anno 1336. *Florentius de Jutphaes* erat Præpoſitus Majoris.

XXXV. SUEDERUS UTERLOE Præpoſitus ex primariæ Tranſiſalaniæ nobilitate oriundus, prius Præpoſitus S. Petri, ſummopere ad præſulatum Trajectenſem aſpiravit, inquit Buchel. ad Hedam p. 253. ſed non pervenit. De anno quo a S. Petri præpoſitura ad majorem tranſiit, non liquet. Inter Edicta Ordinum Ultrajectenſium a *Joanne van de Water* vulgata, exſtat tom. 2. pag. 355. 356. Charta Joannis Arkelii epiſcopi de anno 1360. in qua perſpicue *Suederus Uterloe præpoſitus majoris.* Sed eo anno ſupererat, ut vidimus *Henricus de Mierlaer* Præpoſitus. In Chron. Magn. Belgii infra referendo ſub *Suedero* Præpoſito S. Petri, dicitur, quod *poſtea* Præpoſitus Majoris effectus fuerit. Hæc ſcribuntur ad an. 1360. Sed ſi menſes dumtaxat aliqui ejuſdem anni interceſſerint, verum erit quod *poſtea* ad majorem tranſierit eccleſiam, ut vult auctor Chronici, & ſimul ſtabit, quod eodem anno 1360. Præpoſitus eſſet Majoris, ut habet Charta citata. Supereſt

An. 1360.

pereſt dicendum, quod *Henricus de Mierlaer* vivus ceſſerit. In Matthæi catalogo notatur *Suederus Præpoſitus* Majoris fuiſſe annis 1360. 1363. De hoc ultimo ne dubita. Dedit Gerhardus Dumbar Analect. tom. 2. p. 299. Chartam ejusdem *Joannis Arkelii* de anno 1363. cui ſubſcripſit *Suederus Uterloe præpoſitus majoris*. Occurrit quoque in Charta an. 1364. die penultima Junii, cum procurator *Joannis Vernenburgii* a Monaſterienſi Weſtphaliæ eccleſia ad Trajectenſem auctoritate apoſtolica tranſlati, juramentum capitulis præſtaret in manibus Decani Majoris, apud Matth. Analect. tom. 9. p. 202. & ſeqq. Item in Charta ejusdem anni de 8. Septembris cum *Joannes Vernenburgius* juramentum præſens & in perſona præſtaret,
1365. apud Matth. de Nobil. p. 786. Quæ tamen Charta præfert
1366. annum 1365. in Analect. tom. 9. p. 224. Anno 1366. ſubſcripſit tabulis fundationis Capituli Leidenſis per dictum *Joannem* Epiſcopum factæ, quas dedit Heuſſen. Bat. Sac.
1367. par. 2. p. 253. Occurrit etiam an. 1367. apud Matth. Fund. & Fata p. 7. Sed illuſtrior multo *Suederus* noſter anno 1371. poſt obitum *Joannis Vernenburgii*, cum a Capitulo Majoris Vicarius Generalis ſede vacante eligeretur, contra quatuor reliqua Capitula, quæ tamen ejus electionem irritam fecerunt, uti oſtendi in *ſpecimine eruditionis Broederſenianæ* pag. 17. n. 16. ex Charta quæ eſt Analect. tom. 9. à pag. 225. Dein eodem anno a quibusdam Canonicis Capituli Majoris, cum quibus Amersfortiam ſeceſſerat, electus fuit in Epiſcopum, qua de re vide Hedam in *Arnoldo de Horne.* Appendicem Lappii ad Bekam. pag. 123. & Chron. Magn. Belgii edit. novæ. pag. 347. alias 319. Ant. Matth. lib. Fund. & Fat. p. 44. memorabilem liberalitatem a *Suedero* Præpoſito Eccleſiæ Majori
1375. exhibitam anno 1375. allatis tabulis exhibuit. Ejus obitum variè annotarunt varii, quæ referre nihil attinet, poſtquam Buchelius ad Hedam pag. 253. ejus dedit Epitaphium, quod ait exſtare in æde ſumma Ultrajecti his verbis ſarcophago inſculptum: *Obiit venerabilis dominus præpoſitus Trajectenſis &*
1378. *Archidiaconus Suederus Uterloe anno* M. CCC. LXXVIII. XXII. *Aprilis, hic ſepultus.*

Proinde erratum eſt in Necrologio S. Petri, quod edidit A. Matth. Fund. & Fata pag. 118. ubi lego, *Anno 1360. obiit dominus Zuederus Uterloo, præpoſitus noſter.* Fuerat nempe Præ-

Præpoſitus S. Petri, ſed non erat cum moreretur. Quin ipſe Matthæus non recte annotavit annum obitus loc. cit. p. 7. ubi 1377. cum ſcribendum eſſet 1378.

XXXVI. Gysbertus Cock poſt obitum Suederi, & quidem die 20. Maji 1378. electus eſt Præpoſitus, *Arnoldo de Horne* Epiſcopo Ultrajectino electionem eodem anno confirmante. Ita ex Brockii MS. Drakenb. In Charta juramenti quod præſtitit *Gisbertus Brederodius* Præpoſitus, cum adiret poſſeſſionem, *Giſelbertus Koc* ejus dicitur prædeceſſor. Non utique immediatus. Vide Chartam apud Matth. Analect. tom. 2. p. 502. 503. Similiter in juramento quod præſtitit ultimus Præpoſitus catholicus *Antonius de Hennin de Bouſſu*, dicitur: *Gisbertus Cock prædeceſſor noſter*. Fund. & Fata p. 42. Idem *Gisbertus* anno 1371. poſt mortem *Joannis Vernenburgii*, a quinque Capitulis electus fuit Vicarius Generalis ſede vacante, reſciſſa prius ipſius electione *Suederi*, a ſolo capitulo Majoris facta, a quo poſtea etiam ipſa *Gisberti* electio rejecta fuit, uti notavi in *ſpecim. erudit. Broeders*. p. 18. ex Charta quæ eſt apud Matth. Analect. tom. 9. a pag. 225. ubi *Gisbertus* illo anno canonicus Majoris, ſed ſine ulla tunc dignitate. Ceterum obiit *Gysbertus* 20 Maji 1391. ex *MS. Brockii*. 1391.

An. 1378.

XXXVII. Wilhelmus Gerbrandi de Coulster, cancellarius Ducis Alberti Comitis Hannoniæ & Hollandiæ, præpoſituram accepit die 21. Maji 1391. ex eodem M. S. *Brockii*. Fuit præterea Præpoſitus S. Germani, & S. Waldetrudis Montibus Hannoniæ, *Annales du Hainaut par Vincent p.* 153. Numeratur etiam inter paſtores ſeu Præpoſitos *S. Bavonis* Harlemi, in hiſt. Epiſc. Harl. p. 14. col. 2. ſed non placet adſcriptus annus 1328. quod hominem nimia gravet ætate, vixit enim uſque ad 10. Octobr. 1399. *MS. Brockii apud Drakenb.* In Chartulario privilegiorum regularium diœceſis Harlemenſis, quod aſſervatur M. S. in Collegio B. Mariæ Lovanii, exſtat Charta *Gerbrandi van der Couſter* anni 1328. qui ibi Præpoſitus Montenſis & Curatus appellatur; quem puto alium eſſe a *Wilhelmo Gerbrandi*, & forte hujus fuiſſe patruum. 1399.

1391.

XXXVIII. Joannes de Montfoort Præpoſitus filius *Henrici* Burchgravii Montfortenſis, & Odiliæ de Polanen, quæ erat filia *Odiliæ de Horne*, ſororis *Arnoldi de Horne* Epiſ-

An. 1399. 1405.

copi Ultrajectini; „ Admiſſus inquit Heuſſenius, menſe „ Octobri 1399. ad præbendam & Præpoſituram Traj. per „ mortem *Coulſter* vacantem. Hic tandem reſignavit, & ſit „ *Burghgraeff*, duxitque uxorem. " Exſtat Charta *Joannis van Montfoirde* Præpoſiti Majoris anni 1405. 20. Octobris, circa jurisdictionem ſuam in oppido Amersfortenſi, apud Matth. in Dedicat. Rerum Amorfort pag. 35. in fine. Oc-
1413. currit etiam anno 1413. apud Matth. de Jur. Glad. p. 142.
1414. Anno 1414. dimiſit Præpoſituram ducta uxore *Cunegunda de Bronckhorſt*, ex qua prolem ſuſcepit. *MS. Brockii apud Drakenb.*

An. 1414. 1421. 1422. XXXIX. SUEDERUS DE CUYLENBURG Præpoſitus, erat filius *Gerardi*, domini *de Culemburch*, & *Barthæ de Egmond*, quæ erat filia *Guidinæ van Amſtelle*. *Brockius* in MS. ait hunc, *Joanni de Montfoort* ſucceſſiſſe die 8. Novembr. 1414. Idem aſſerit in Catalogo Heuſſen. In chronico Latin. apud Matth. Analect. tom. 9. p. 63. occuret ad annum 1422. quando in Eccleſiam majorem attulit caput *S. Adriani* Martyris ex Monaſterio *Marienweert* prope oppidum Culemburgenſe. De eadem tranſlatione meminit Heda pag. 274. Sed non tribuit hanc gloriam *Suedero*, quam loquitur quidem Chronicon auctius Joannis Bekæ ſive ejus interpres Belga, Analect. tom. 5. p. 450. Sed in eo errat, quod caput faciat *S. Andreæ*. In Origin. Culemburg. Analect. tom. 6. p. 282. *Sint Adriaens Hooft*. Id eſt *Caput S. Adriani*. Hic *Suederus* in Schismate electus fuit Epiſcopus Trajectenſis, qua de re vide Suffridum Petri in append. ad Bekam p. 152. Hedam p. 284. Chron. magn. Belgii novæ edit. p. 402. Sed præcipue Chronicon Latinum A. Matthæi Analect. tom. 9. cui addidit ille varias Chartas quæ hactenus latuerant.

Summa hæc eſt. Defuncto *Frederico de Blankenheym*, pars Capituli Ultrajectini *Rudolphum Diepholdium*, pars *Johannem Buranum*, nonnulli etiam *Suederum* elegerunt Epiſcopum. *Suederus* ſuffragia ſibi data tranſtulit in *Rudolphum*. *Martinus* V. electionem declaravit nullam, & anno 1424. Eccleſiam Ultrajectinam contulit Epiſcopo Spirenſi, *Rabano*, ut putat Buchel. ad Hedam. p. 288. cognomento *de Helmſtadt*, uti conjicio, quia tempora apte conveniunt. Vide Hiſt. Eccleſ. Germaniæ, editam gallicè, Bruxellis an. 1724.

in

in 8. tom. 1. p. 45. *Rabanus* turbatis Ultrajecti rebus abſterritus, Ultrajectinam cathedram cum *Suederi* præpoſitura Majoris anno 1425. permutavit approbante Pontifice. Ita perſpicue in Chron. Lat. Matth. Analect. tom. 9. p. 64. & in Chron. Oſnabrug. ibid. p. 432. In Origin. Culemb. Analect. tom. 6. p. 282. & Buchelius ipſe loco ſup. cit. Poſt hæc *Suedrus* Ultrajectum venit, ad Eccleſiam admiſſus fuit, accepta prius per procuratorem poſſeſſione diebus 20 & 21. Julii anni 1425. V. Analect. tom. 9. a. p. 284. Dum præeſſet variè peccavit in leges & privilegia patriæ, quare abjecto illo poſtulatus fuit *Rudolphus.* Hinc ſchiſma, bellum, cædes plurima, excidium. *Suederus* extorris factus obiit Baſileæ anno 1433.

XL. Rabanus *de Helmſtadt* Spirenſis Epiſcopus, Præpoſitus Majoris ex permutatione canonica cum *Suedero* approbante *Martino* V. Ita A A. ſup. citati, inter quos Chronicon Oſnabrugenſe d. p. 432. teſtatur, quod *Suederus* Epiſcopum Spirenſem, *nolentem dimittere eccleſiam quam obtinebat .... cum præpoſitura & aliis contentavit.* Unde non capio, quare Heuſſenius, quinimo Drakenburgius hunc Epiſcopum Spirenſem omittant. Permutatio effectum ſuum habuit; *Suederus* factus eſt Epiſcopus: proinde *Rabanus* factus eſt Præpoſitus. Subjiciunt illi *Proſperum Columnam*, quem ajunt, Præpoſitum factum fuiſſe *ex ceſſione Suederi anno* 1426. Sed jam permutaverat cum *Rabano.* Si hic Præpoſituram reddidit *Suedero*, potuit illam altera ceſſione tranſtuliſſe in *Proſperum*: ſed hoc eſt quod ſupereſt demonſtrandum.

XLI. Prosper Columna Romanus, *Laurentii* Comitis *Albæ* filius, *Martini* V. Pontificis maximi ex fratre nepos, ponitur in MS. Brockii, & apud Heuſſenium Præpoſitus Majoris ex ceſſione *Suederi*, quod jam rejeci, ſed quia omnes aſſerunt hunc pariter ceſſiſſe *Jacobo Ziericio*, qui ſequitur, admittendus erit. *Hic tandem fit Cardinalis*, inquit Heuſſenius. Neſcio quid opus erat tantæ exſpectationis adverbio. Ciacconius & Aubery docuerunt me, quod *Martinus* V. *Proſperum* nepotem ſuum, Cardinalem creaverit die 24. Maji 1426. Sed *in pectore*, quod ajunt, ſervatum, declaraverit die 8. Novembr. 1430. An. 1430. 1433.

Heuſſenius in Bat. Sac. part. 1. p. 213. & Henricus van

Ryn in Bat. Sac. Belgica p. 412. edit. in 8. & 287. edit. in fol. *Walravum Morſanum* Præpoſitum Majoris faciunt. Eſt error, condonandus Heuſſenio homini animi vagi & diſtracto: non item Henrico van Ryn; qui naſutus ſibi videtur, & correctorem agit, imo correptorem. Verum in ejus gloſſis inſidioſis, quæ redolent plerumque laudem temporis acti, & diſciplinam præſentem carpunt magna cum libertate, nullum uſquam Heuſſenii errorem emendatum vidi.

An. 1433. XLII. Jacobus de Zierick Lotharingus, Protonotarius Apoſtolicus, Præpoſitus Herbipolenſis, & ædis Metropolitanæ Treviris ſcholaſticus (*annales Trevirens. tom.* 2. *p.* 273.) Ultrajectenſis Præpoſitus factus eſt anno 1433. 4. Januarii, ex reſignatione dicti *Proſperi*. Ita Heuſſenius & Drakenb. in Catalogo. Hic *Jacobus* adhæſit *Suedero*, eoque anno 1433. è vivis erepto, cum fugitivis aliquot quinque Capitulorum Canonicis Arnhemii conſiſtentibus, elegit *Walravum Morſanum* in Epiſcopum Ultrajectinum, contra *Rudolphum Diepholdium* confirmatum, agnitumque. Vide Ant. Matth. Analect. tom. 9. p. 415. Anno 1439. fit Archiepiſcopus elector Trevirenſis, & in ea dignitate obiit anno 1456, Annales Trevirens. tom. 2. cit. p. 279. & 289. Hiſtoire Eccleſ. d'Allemagne. tom. 1. pag. 218.

An. 1437. XLIII. Gysbertus de Brederode admiſſus in Vigilia S. Andreæ Anno 1437. Ita Heuſſenius, & hac vice recte, illo enim die præſtitit juramentum, quod dedit Matth. Analect. tom. 2. p. 502. & ſeq. Quod addit, hunc Præpoſitum factum ex reſignatione *Jacobi de Zierick*, id mihi nondum liquet. Admiſſus fuit ex proviſione Apoſtolica, ſed ſi Ant. Matth. cridimus, ea fuit ſuper defectu ætatis, cum annos natus viginti, nactus eſt Præpoſituram. Bullam Capitulo exhibuit 24. Martii 1436. * Reſidentiam complevit ult. Decembr. 1437. Matth. ſup. cit. p. 499. Erat ſimul Præpoſitus
1443. S. Salvatoris, & uti talis occurrit ad annum 1443. in Charta de Jur. Glad. p. 108. & ſeq. Utramque retinuit donec eligeretur Epiſcopus. Mortuo anno 1455. *Rudolpho Diepholdio*, ut fieret Capitularis, & intereſſet electioni novi Epiſcopi, ſtatim ſe Subdiaconum conſecrandum curavit, inquit Suffridus Petri

* *Lege* 1437. *uti patet ex adſcripta Indictione. XV.*

Petri in app. ad Bekam p. 159. *Davide Burgundo* & *Stephano Bavaro* Epiſcopatum petentibus & poſthabitis, ipſe eligitur eodem anno 7. Aprilis. Chartam Scrutinii dedit Antonius Matth. Analect. tom. 2. p. 432. Infeliciter Epiſcopatum adiit, ſed id nihil ad nos. Adverſis caſibus multis jactatus *Brederodius*, Anno ſequenti 1456. ceſſit Epiſcopatum *Davidi de Burgundia*, retenta ſibi Præpoſitura Majoris, & accepta Præpoſitura S. Donatiani Brugis, cum ſeſſione ut ante in Senatu Hollandico, ſed duplicato ſtipendio, atque ſub penſione 4200. flor Rhenenſium, uti notavit Joannes a Leidis de Orig. & reb. geſtis D. D. de Brederode Analect. tom. 2. p. 361. Tractatum dedit Ant. Matth. Rerum Amersfort. p. 308. & ſeqq. An interim, cum eligeretur Epiſcopus, Præpoſituram S. Salvatoris tranſtulerit in *Wilhelmum de Montfcort*, ſuo loco examinabimus propter hic dubitantem Buchelium ad Hedam p. 307. Obſtiterunt poſtea ejus tranquillitati & varia & multa, quorum an in ipſo reſederit culpa, an vero in *Davide* fuerit, non facile dixeris. Anno 1470. a *Davide* captus & conjectus fuit in vincula, ut videri poteſt apud Joannem a Leidis cit. & apud rerum Ultrajectinarum ſcriptores paſſim, coactus deſerere Præpoſituram, quam tranſtulit in *Simonem de Sluſa* anno 1474. Ipſe ex pacto exul, Bredam ſe contulit apud *Engelbertum Naſſovium* Dominum de Breda & de Dieſt, qui obiit anno 1504. uti lego in Necrologio Capituli S. Mariæ Bredani ad diem 30. Maji, quod apud me eſt MS. & poſt annum ibi moritur, terræ traditus in Carthuſianorum Monaſterio, quod tum erat in oppido Montis S. Gertrudis, ut Joannes a Leidis perſpicue tradit Cap. 67. Analect. tom. 2. p. 400. & Heda p. 294. Bockenberg. in Genealog. Brederod. p. 41. & in Catalogo Pontificum Ultraj. p. 43. ut mirer Heuſſenium ſcribere eum mortuum eſſe Brederodæ 15. Auguſti 1476. Joannes a Leidis & Bockenbergius notant annum 1475. & hîc, diem quoque diverſum, nempe 25. Auguſti. Ceterum *Gisbertus* „ extra ditionem Ultrajectinam perpetuo ſe moraturum firma ſtipulatione promiſerat " uti Bockenb. ſcribit. Brederoda eſt Caſtrum prope Harlemum extra ditionem quidem, ſed intra Dioceſim Ultrajectinam, ubi non ſine invidia *Davidis* Epiſcopi eſſe potuiſſet. Sed nullis hîc conjecturis eſt

1470.

 opus,

opus, ubi Auctores citati perſpicue tradunt Bredæ illum conſediſſe, & mortuum eſſe.

An. 1474. 1494. XLIV. Simon Van der Sluys Præpoſitus, ex coacta *Gisberti Brederodii* ceſſione, cujus tabulas videre eſt apud Matth. Analect. tom. 2. p. 497. ſignatas 12 Auguſti 1474. Erat is Roterodamo oriundus, ut habet Heuſſenius, & Medicus *Caroli* Burgundiæ Ducis. Hoc ultimum etiam apud Joan. a Leidis Analect. tom. 2. p. 399. Fuit etiam Præpoſitus S. Pharaildis Gandavi, & Canonicus ac cuſtos Cathedralis Leodienſis. *Ex adverſariis Clar. J. F. Foppens Collegæ mei.* Canonicus S. Donatiani Brugis ex comp. chronol. Epiſcoporum Brug. p. 117. In Charta anni 1493. occurrit Prælati nomen, quod Præpoſitis Ultrajectinis tributum dixi: *Eerſamen Prelaat Mr. Simon van der Sluys Domprooſt t'Utrecht.* De Jur. Glad. p. 214. Exſtat charta ejus apud van Ryn tom. 3. p. 621. quæ eſt anni 1494. Videtur non reſediſſe Ultrajecti. Abſuit etiam ab electione *Frederici Badenſis* celebratæ anno 1496. 21. Aprilis, uti notatur in Scrutinio, quod Matthæus Conclave Ultrajectinum vocat. Analect. tom. 4. p. 506. Heuſſenius illum obiiſſe dicit Mechliniæ 29. Septembr. 1499. Hoc conſtat, fuiſſe *Simonem* Præpoſitum quoque Eccleſiæ tunc Collegiatæ, nunc Metropolitanæ & Primitialis *S. Rumoldi* Mechliniæ, in eaque ſepultum in Choro juxta majus altare ad cornu Epiſtolæ, ſub ingenti lapide, cui inſculpta ſunt, ſed ſine anno, menſe, aut die, verba ſequentia

SEPULCHRUM
R. D. SIMONIS DE SCLUSA PRÆPOSITI
HUJUS ECCLESIÆ.

An. 1500. 1517. 1524. 1529. XLV. Philibertus Naturelli admiſſus XI. Februarii 1500. Heuſſen. in Catalogo. Lambertus Hortenſius Rerum Ultrajectin. lib. 1. pag. mihi 13. eum ait è Burgundia oriundum, „ prudentia ſingulari & comitate eximia „ fuiſſe: ob id in Hollandorum concilium non infimi ſubſel- „ lii lectum, hominem ad pacem & concordiam concilian- „ dam natum; & ætate grandem fuiſſe cum interfuit electio- „ ni Henrici Bavari celebratæ anno 1524. Petrus Sanjulianus in Antiquit. Burgund. pag. 321. oſtendit eum nobili genere natum ex dominis de la Plainne. Anno 1517. creatus fuit

fuit Conſiliarius Conſilii Privati illo anno inſtituti per *Carolum* Auſtriacum, Hiſpaniarum Regem, Belgii Principem, poſtea Romanum Imperatorem. *Tombeaux des hommes Illuſtres Chap.* 1. Fuit Cancellarius Ordinis Velleris aurei, legatus *Maximiliani*, & *Caroli V.* Imperatorum ad Regem Franciæ; Abbas commendatarius Cœnobii Athanacenſis, ſive Athanatenſis ad Confluentes Araris & Rhodani, ob id etiam *Interamne* appellati, olim extra Lugduni muros, nunc ipſis incluſum. *Gallia Chriſt. nov. edit. tom.* 4. *p.* 232. *& ſeqq.* Fuit etiam Præpoſitus *S. Rumoldi* Mechliniæ, & Abbas Villarienſis; quod ultimum, etiam Auctores citati. Occurrit uti Præpoſitus Trajectenſis ad an. 1517. quando ſe inter & Decanum Majoris in ſolemni introitu medius inceſſit *Philippus de Burgundia* Epiſcopus Trajectenſis. Chartam vide apud Matth. Analect. tom. 1. p. 282. Item ad an. 1529. Fund. & Fata pag. 357. & ſeqq. Obiit die 22. Julii 1529. & ſepultus eſt in Abbatia Villarienſi Ordinis Ciſtercienſis in Wallo-brabantia Diœceſis Namurcenſis. *Grand Theat. Sacrè de Brab. Van Geſtel. Hiſt. ſac. & prof. Arſchiep. Mechl.* Miror Sanderum hac de re non meminiſſe in Chorographia ſacra Brabantiæ, neque editori ſecundæ editionis id innotuiſſe. Porro in Sanderi Flandr. illuſtr. tom. 2. lib. 2. pag. 85. obinuit Præpoſituram B. Mariæ Brugis, non ſine lite. In *Gallia* Chriſt. nov. edit. tom. 3. pag. 591. eſt quadrageſimus quartus in ſerie Abbatum Villarienſium: *Philibertus Naturelle Burgundus*, *Romanæ Curiæ protonotarius*, *eccleſiæ cathedralis Ultrajectinæ Archidiaconus & præpoſitus*, *ex permutatione cum prioratu d'Arboiſe ordinis S. Benedicti diœceſis Biſuntinæ*, *abbatiam conſecutus*, *eſt*; *quam paulo poſt dimiſit ſub annua penſione. Obiit vero Mechliniæ*, *unde advectus eſt Villarium juxta chorum ad latus altaris Angelorum ſepeliendus*, *pridie cal. Auguſti an.* 1549. *cum hoc epitaphio:*

Aiſnay.

Anno 1524. permutavit cum Joanne Rigaldo vel Regnaldo de Malleto Abbate Villarienſi XLIII. Ibid.

DORMIT SUB HOC LAPIDE DOMINUS PHILIBERTUS NATURELLE, BURGUNDUS, GENERE NOBILIS; U. J. DOCTOR, QUI VARIAS PULCHRE OBIVIT LEGATIONES, ECCLESIÆ ULTRAJECTINÆ PRÆPOSITUS ET CURIÆ ROMANÆ PROTONOTARIUS. OBIIT MECHLINIÆ AN. 1529. 22. JULII, HIC SEPELITUR.

Hic

Hic rurſus cogor adverſari Heuſſenio, non alia quam ejus uſurus chronologia. Poſt relatum inter Præpoſitos *Philibertum*, ſubdit: *Invenio circa hæc tempora* JACOBUM DE EYNATTEN *Doct. Præpoſitum Ultraj.* Hæc verba belgice reddidit Henricus van Ryn in moleſto magis, quam momentoſo opere ſuo ſex voluminum in folio, in quo univerſas Heuſſenii lucubrationes, * vernaculas fecit, adjectis gloſſis æternis quæ fatigant lectorem. Non examinavit curioſus ille, ubi hunc *Jacobum* invenerit auctor. Conemur id nos, imò deficiamus. *Philibertus* juxta Heuſſenium, obiit 19. Julii † anno 1529. & *Claudius de Bouſſet* admiſſus fuit 18. Auguſti 1529. Nondum integri menſis interceſſit ſpatium inter mortem unius & introitum alterius. Ubi ergo *illa tempora Jacobi de Eynatten Præpoſiti*? Brockius, Matthæus, Drakenburgius de hoc *Jacobo* ne gry quidem.

Neſcio an Heuſſenius legerit Sanderi Brabantiam. Sub baſilica S. Gudulæ pag. 18. inter Canonicos iſtius ædis commemorat Sanderus *Joannem Eÿnatten, Præpoſitum Ultrajectinum, Maximiliani Cæſaris conſiliarium anno* 1493. Fallitur; fuit Præpoſitus S. Servatii Trajecti ad Moſam, & Decanus eccleſiæ Collegiatæ B. M. V. Cortraci. *Ex Schedis J. F. Foppens.* Dicerem Heuſſenium non ſine auctore erraſſe, ſi *Joannem* non transformaſſet in *Jacobum.*

XLVI. CLAUDIUS DE BOUSSET vel potius *de Boiſot*, Burgundus, anno 1522. admiſſus 18. Auguſti 1529. Ita Heuſſenius. *Cornelius van Geſtel* hunc adnumerat Præpoſitis
An. *S. Rumoldi* Mechliniæ, & ſcribit Conſiliarium fuiſſe ſac. Cæ-
1529. ſareæ Majeſtatis, atque ultimum diem obiiſſe 19. Auguſti 1546. *Hiſt. ſac. & prof. Arſchiep. Mechl. pag.* 41. In tomo 1. Supplem. ad Chriſtophori Butkens Trophées de Brabant. p. 174. ita lego in Catalogo Senatorum Conſilii Privati: *Meſſ. Claude de Boiſſet, commendataire de l'abbaye de Faverney & grand Archidiacre d'Arras.* Ceſſit præpoſituram anno 1530. *Drakenb.* In Actis Capitularibus eccleſiæ noſtræ adſcribuntur *Claudio de Boiſot* qualitates hæ: jur. utriuſque doctor, *Ca-*
1530. *roli* V. in Sanctiore Conſilio Conſiliarius, Decanus eccleſiarum

* *Batavia Sacra. Hiſtoria Epiſcopatuum Fœderati Belgii. &.*
† *Juxta nos 22. Julii.*

rum Collegiatarum B. Mariæ Dolanæ, & S. Hypoliti Po-
ligniacenſis in diœceſi Biſuntina, ac Præpoſitus *S. Rumoldi*
Mechliniæ, quam Præpoſituram accepit menſe Septembri
1538. vacantem per obitum *Euſtachii de Croy* Epiſcopi Atre-
batenſis, qui 24. Auguſti 1534. ſucceſſerat Cardinali *ab*
Enckevort.

XLVII. Joannes Slacheck Weſtphalus, admiſſus An.
1. Junii anno 1530. ex ceſſione *Claudii* prædicti, moritur 15. 1530.
Aprilis anno 1543. Ita Heuſſenius in Catalogo, & Brockius 1543.
apud Drakenburg. Sed dies *quinta* notatur in libro Edicto-
rum Ultraj. tom. 1. p. 280. col. 2. Clar. Dumbar in Da-
ventria illuſtr. tom. 1. p. 339. mavult diem decimum ſepti-
mum ejusdem menſis & anni. Occurrit in annalibus verna-
culis *Henricæ ab Erp*, abbatiſſæ Cœnobii vulgo *Vrouwen-
clooſter* dicti in ſuburbanis Ultrajectenſibus, apud Matth.
Analect. tom. 1. p. 167. Is Romam profectus fuit cum
ceſſionis tabulis *Henrici Bavari* & Ordinum Ultrajectenſium,
a Romano Pontifice roborandis, ob id a *Carolo* V. Cæſare
Præpoſitura donatus. Hortenſius lib. 7. pag. mihi 175. Erat
ante hanc ceſſionem Præpoſitus B. Mariæ atque eidem ex
parte Cleri interfuit, ut eſt in Ceſſionis illius Inſtrumento
apud A. Matth. de Nobil. pag. 858. & ſeqq. Fuit quoque
Decanus Capituli Daventrienſis. Apud Dumbar loc. cit.

XLVIII. Cornelius a Myerop Præpoſitus, admiſ- An.
ſus juxta Heuſſenium 13. Februarii an. 1545. *poſt mortem*, 1543.
inquit, *Joannis Slacheck*. Niſi ſit error in numeris, biennium 1553. 1563.
interceſſit. Idem obtinet in Chronologia Drakenburgii hic. 1566.
Qui etiam graviter hallucinatur, dum quas loquitur moleſtias 1568.
Cornelio illatas, has Ultrajectenſi Archiepiſcopo imputat, &
ſomniat Archidiaconatum menſæ Epiſcopali unitum. Jura &
juriſdictiones Archidiaconorum Epiſcopis tributas legerit. In
ſimilibus facile labuntur Acatholici. Occurrit *Cornelius* ad
annum 1553. in Charta *Alberti de Egmont a Mereſteyn* Magni
Commendatoris Ordinis Teutonici, tranſlationis juris patro-
natus Parochiæ de *Maerſen*, quam dedit Matthæus Analect.
tom. 10. p. 399. & quam Heuſſenius, nulla Matthæi facta
mentione, exſcripſit, & inſeruit Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 555.
Jacobus de Riemer in Deſcript. Hagæ Com. tom. 1. fol. 237.
refert, *Cornelium* dono dediſſe Gaudanæ Eccleſiæ vitrum,

quod inter picta & admiranda ibi vitra, ordine XVI. ejus exhibet effigiem in habitu eccleſiaſtico poſitam infra hiſtoriam Sermonis Domini in monte, cum hac epigraphe: *Reverendus D. Dominus Cornelius a Mycrop Præpoſitus & Archidiaconus Trajectenſis, & Canonicus Sancti Salvatoris Trajectenſis.* 1556. Subſcripſit Synodo Provinciali an. 1565. ſub Schenckio. In Bat. Sac. part. 2. p. 26. perperam vocatur *Joannes* pag. 67. *Cornelius* ei nomen in omnibus Chartis quas plures vidi, etiam apud Heuſſen. Hiſt. Epiſc. Ultraj. pag. 330. 331. Fuit etiam Decanus Capituli B. Mariæ in palatio Hagæ-Comitano, ibid. p. 428. Erat filius *Vincentii Cornelii* Theſaurarii Belgicæ univerſæ, qui vulgo vocatus fuit *Magnus Vincentius.* V. not. ad N. LXII. Vitæ Viglii. Porro *Cornelius* obiit 31. Julii 1572.

Habuit multiplices & diuturnas concertationes cum *Nicolao de Caſtro*, primo Middelburgenſi Epiſcopo, ſuper exercitio Juriſdictionis eccleſiaſticæ per Zelandiam: quæ ante erectionem novorum Epiſcopatuum, ad Præpoſitum & Capitulum Majoris, ratione Archidiaconatus pertinebat, quas alterationes enarrat Heuſſenius in Hiſtoria Epiſcopatus Middelburgenſis. Et *Andreas Schurius* in faſciculo epiſtolarum *Andreæ Alciati*, & aliorum, ſubjuncto primæ centuriæ epiſtolarum ſuarum, adfert *Cornelii* Præpoſiti epiſtolam datam hac de re ad *Viglium* Conſilii Privati Præſidem die 23 Aprilis 1566. Improbat Schurius, quod *homines tumultuentur juriſdictionis tuendæ gratia*: ſed ignorabat ille, quod ſocii ſui, pro Archiepiſcopi Sebaſteni & prætenſi Capituli Ultrajectini fictitia juriſdictione tuenda, Romano Pontifice valere juſſo, Pſeudo-epiſcopos duos * aliquando oſtentarent orbi, tumultus non tantum, ſed deſperationis peſſimæ futuros teſtes.

Huic ſubjicit Heuſſenius *Antonium van Schouwenburgh*, qui poſtea Archiepiſcopus Colonienſis. Id jam non de ſuo, ſed ex Catalogo A. Matthæi. Aſſentiri non poſſum. Obiit *Antonius* Archiepiſcopus anno 1558. Gallia. Chriſt. tom. 3. col. 710. Certum eſt *Cornelium a Myerop* Præpoſitum fuiſſe uſque ad annum 1568. ex Charta ab Heuſſenio allata Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 330. an Præpoſitus obierit anno 1572. non liquet hactenus.

* Imo, cùm hæc prelo darentur, quatuor. Nempe *Steenhoven, Barchman, Van der Croon, & Meyndaerts.*

nus. Etiam ſuſpicio fuit Drakenburgio, & tamen illum catalogo ſuo inſeruit. Immerito.

Henricus Serieur ab Heuſſenio, nullo attributo tempore, Præpoſitus ſtatuitur, nullibi mihi repertus, omiſſus a Drakenburgio, & a me rejiciendus.

XLIX. Antonius de Hennin de Boussu, Dominus temporalis de *Lambuyſſark* filius *Joannis*, primi Comitus *de Bouſſu*, & Equitis aurei velleris (cujus mater erat *Catharina de Ligne*) & *Annæ de Burgundia*, quæ erat filia *Annæ de Glimes* (*Drakenburg.*) admiſſus, inquit Heuſſenius in catalogo, ultima Septembris 1573. Tria conſueta juramenta quæ Præpoſitus per ſe tenebatur exſolvere in Capitulo, præſtitit Bruxellis die 24. Aprilis 1575. per diſpenſationem Capituli Majoris (datam ob pericula viarum) die 18. Decembris 1572. uti præfert Charta apud Matth. Fund. & Fata p. 40. & ſeqq. Ex qua patet admiſſum fuiſſe *Antonium* ad Præpoſituram ultima die Septembris, uti Heuſſenius notat: ſed, ſi apud A. Matth. non ſit in numeris error, anno integro citius, nempe 1572. Porro nulla ibi mentio *Coadjutoriæ* in vim cujus Heuſſenius voluit *Antonium* Præpoſitum factum fuiſſe. Et Annus a Matthæo ſignatus, ſi erroneus non eſt, novo argumento eſt, non tantum *Antonium van Schouwenburgh*, ſed & *Henricum Serieur* è Præpoſitorum Catalogo expungendos eſſe, quòd inter obitum *Cornelii a Myerop*, & admiſſionem *Antonii de Bouſſu* interceſſerint menſes duo dumtaxat. Exſtat Charta *Antonii de Bouſſu* de 3. Januarii 1588. apud Broeders. Tract. Hiſtoric. prim. p. 263. Vicarium generalem habuit Joannem Axelium, ut eſt in epiſtola Ponti Heuteri inter epiſtolas clarorum virorum, quas edidit Simon Abbes Gabbema Harlingæ Friſiorum, anno 1683. ubi v. p. 258. & ſeqq. In Catalogo Matthæi *Antonius* Præpoſitus fuit anno etiam 1594.

An. 1572. 1573. — 1588. — 1594.

Errores & dubitationes circa Præpoſitos Majoris.

Heuſſenius in Hiſt. Epiſc. Ultraj. pag. 31. ad calcem, correcturus Pontanum qui *Guilelmum Enckevortium* Epiſcopum Ultrajectinum, *Michaëlem* vocat, errorem ipſe committit, ſubdens: *Ejus nominis erat Guilelmi hujus nepos, Maj. Traj. Eccleſiæ Præpoſitus & Archidiaconus.* Erratum. *Michaël* ille fuit Præpoſitus S. Salvatoris.

In Necrologio Vallis B. Mariæ apud Matth. Fund. & Fata p. 439. Menſe Februario ita legitur: III. *Idus Venerabilis*

 dominus

dominus Johannes de Solmis Canonicus & officialis, Præpoſitus majoris Eccleſiæ Trajectenſis, frater Mechtildis de Solms monialis noſtræ. Hic nulli occurrit hactenus. Suſpicari quis poſſet *Joannem* Præpoſitum fuiſſe poſt tempora Catholicorum, ſed, id ſi dicas, quomodo in Necrologium relatus? Nec eſt idem qui *Joannes Albertus* Comes de Solms, qui acatholicus erat & conjugatus, & qui Præpoſitus fuit an. 1633. & poſt eum uxor ejus uſufructuaria: verùm non majoris Eccleſiæ, ſed S. Joannis. V. Matth. de Jure Glad. p. 101. & ſeqq. Porro eſt error in Necrologio cit. Lege ſic: *Venerabilis dominus Johannes de Solmis Canonicus & Officialis præpoſiti Majoris eccleſiæ Trajectenſis* &c. Nempe fuit Officialis *Philiberti Naturelli.* V. van Ryn tom. 3. p. 818. col. 2. in fin.

Simon van Leuwen in Bat. illuſtr. pag. 947. *Nicolaum de Egmont* facit Præpoſitum Majoris. *Domprooſt te Utrecht.* Quo anno? ſilet. Et ego ſilebo. Non eſt illi locus in ullo prorſus catalogo.

DECANI ECCLESIÆ MAJORIS

SIVE

S. MARTINI.

I. SIGBOLDUS Decanus apud Hedam in Balderico pag. 79. Heuſſenius ſcribit *Sigisboldus*. Conſentit nobis Joannes Knippenbergh in Hiſt. Eccleſ. Ducatus Geldriæ p. 47. col. 2. & Drakenburg. An. 943.

Huic ſubjicit Heuſſenius *Ulbodonem*, Drakenburgius *S. Wolbodonem*, Decanum. Evici Præpoſitum fuiſſe, non Decanum.

II. ENGELBERTUS alias EGIBERTUS Decanus. Heuſſ. in Catalogo. In diplomate *Conradi* Epiſcopi de anno 1085. apud Buchel. ad Hedam. p. 140. occurrit *Egbertus* Decanus, qui poſtponitur quatuor Præpoſitis, contra ordinem, poſterioribus ſaltem temporibus, ſervari ſolitum. Hunc omiſit Drakenburgius in catalogo, ſed poſtea corrigens ſe, vel correctus ab alio, *Egbertum* admiſit in append. catalogi in Edict. Ultraj. tom. 1. p. 753. col. 1. Neſcio cujus hoc opus. An. 1081. 1085.

III. LUBBERTUS vel LUTBERTUS imo LUBERTUS Decanus in Charta *Godebaldi* Epiſcopi apud Buchel. ad Hedam pag. 152. Et in alia ejusdem de anno 1126. ibid. p. 155. nec non in Charta *Andreæ* Epiſcopi, quæ apud Buchel. p. 161. præfert annum 1130. & apud A. Matth. de Jur. Glad. p. 359. 360. annum 1131. ubi ſcribitur *Lutbertus*, uti etiam in Charta anni 1132. fundationis cœnobii Stavrienſis in Friſia, apud Matth. Analect. tom. 6. pag. 74. An. 1118. 1126. 1130. 1131. 1132. 1134. 1139. *Staveren.*

Et Chartæ anni 1134. Andreæ Epiſcopi, confirmantis fundationem Abbatiæ Bernenſis Ordinis Præmonſtratenſis, (cujus Prælatus hodie reſidet in oppido Vilvordienſi, Mechliniam inter & Bruxellas) ſubſcripſit *Lutbertus* Decanus. Hiſt. Epiſc. Ultraj. pag. 257. 258. Denique *Lutbertus S. Martini* Decanus legitur uti teſtis in Charta donationis quarumdam

proprietatum Capitulo S. Salvatoris factæ per eundem *Andream* Epiſcopum apud Buchel. ad Hedam pag. 160. quæ ibi præfert annum 1139. quod pugnat cum Bockenbergio, qui hunc Epiſcopum obiiſſe vult anno 1138. Brockius hunc Decanum fuiſſe ſcribit jam anno 1115. *Drakenburg.* Certè occurrit ad an. 1116. in Charta Godebaldi Ep. de eccleſia B. M. Brugis, quæ eſt in nova editione Miræi p. 961. ubi eſt *Lidbertus Decanus.* Sed cum hæc eadem Charta in Bat. Sac. p. 1. fol. 140. præferat an. 1120. ex Bockenbergii Schedis ineditis petita, non libuit alterutri editioni inſiſtere.

An. 1154. IV. Anselmus Decanus, quem anno 1154. præfuiſſe notat Heuſſ. in Catalogo, & MS. Brockii apud Drakenburg. Hujus tempore conditum eſt ſtatutum de juramento ab electis novis Canonicis præſtando, quod dedit A. Matth. de Nobil. pag. 750. & ita incipit Anselmus *Dei miſeratione de domo S. Martini in Trajecto Decanus &c.* Hic obiit juxta Heuſſ. anno 1164. 11 Octobris. Ceſſit igitur dignitate & officio, vel illo exutus fuit, cum medio tempore alius occurrat Decanus; ob quod dubium Drakenburgius, hunc Decanum ab eo qui ſequitur, noluit eſſe diſtinguendum. Ego diſtinguendum putavi, quod nomina mihi adeo videantur eſſe diſtincta, ut confundi nequeant.

An. 1155. 1156. V. Acelinus alias Azelinus Decanus. Subſcripſit Chartæ *Hermanni Hornii* Epiſcopi anni 1155. de quodam prædio in *Polsbroeck* ubi Capitulo S. Mariæ alta jurisdictio; quam dedit Matth. de Jur. Glad. p. 119. ubi lego *Acelinum.* Contra in Charta *Godefridi* Epiſcopi anni 1156. lego *Azelinum* Decanum. De Nobil. pag. 459.

Hic *Acelinus* Heuſſenio fuit incognitus. Adfert & ipſe duos mihi hactenus non inventos. *Aurelium* ad an. 1155. quem ex jam dictis patet eſſe rejiciendum, & *Adelbertum* cui ſubjungit *Theodoricum*: ſed huic alius dandus eſt prædeceſſor, videlicet:

An. 1164. 1169. 1170. VI. Arnoldus, Decanus, qui ſubſcripſit Chartæ *Godefridi* Rhenenſis Epiſcopi XXVIII. anni 1164. minime dubie: *Teſtibus de clero* Arnoldo *majoris Eccleſiæ Decano.* Hanc dedit Matth. in Notis ſuis ad Anonymum de Rebus Ultraj. p. 99. Occurrit iterum in Charta ejusdem Epiſcopi de anno 1169. quæ eſt ibid. p. 100. Et Buchel. ad Hedam pag. 175-176.

176. dedit Chartam ejusdem rurſus Epiſcopi anni 1170. cui ſubſcriptus eſt: *Arnoldus ſummus Decanus.* Hunc igitur ſequatur.

VII. Theodoricus Decanus, quem Heuſſenius collocat An.
ad annum 1200. dumtaxat. Occurrit mihi ad an. 1176. in 1176.
Charta *Godefridi* apud Matth. de Jur. Glad. p. 360. & in 1178.
Charta *Balduini de Hollandia* Præpoſiti B. Mariæ in Notis ad 1184.
Anonym. de Reb. Ultraj. p. 104. Utrobique *Theodoricus.* Item 1200.
ad an. 1178. in Charta dicti *Godefridi* ibid. p. 114. Item in Charta circa jus patronatus Eccleſiæ de *Eltene* in Gelria, quæ exſtat apud Matth. Analect. tom. 6. p. 58. quæ eſt ſine anno & die, ſed ibi refertur ad annum 1184. & quam ex eo loco exſcripſit. Heuſſ. Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 200. col. 2. more ſuo reticens beneficium & auctorem ejus. Tandem occurrit ad annum 1200. in Charta *Theodorici II.* Epiſcopi apud Matth. in d. notis p. 133. 134. quæ ſic finit: *Præſentibus & aſtantibus Theoderico majore Decano &c.* ad eumdem annum reperitur in Charta quæ exſtat in Hiſt. Epiſc. Daventr. apud Heuſſ. p. 187.

Eſt Charta apud Buchelium ad Hedam pag. 150. cui nullus annus adſcriptus eſt, in qua conſtituit Imperator *Henricus*, *Rex Siciliæ*, ut *Theodericus decanus majoris Eccleſiæ, ejusque ſucceſſores* in perpetuum, præbendam imperialem duobus ſacerdotibus conferant, qui illam deſerviant pro Imperatoribus. Finit Charta his verbis: *Datum anno regni noſtri XI. Indict. VI. menſis Maji die XVI. in Chriſti nomine. Amen.* Non dubito quin hæc ſit Charta Henrici VI. cui enim alteri convenit titulus *Regis Siciliæ*? Proinde erit data ultimo aut penultimo anno ſeculi duodecimi, vel etiam ineunte ſeculo decimo tertio. Sed *Henrici* VI. annus XI. numquid congruit anno vulgari 1201.?

VIII. Reimboldus Decanus, in Charta *Ottonis* Præ- An.
poſiti apud Matth. Analect. tom. 6. p. 133. & ſeqq. recognita 1204.
ab *Ottone* III. Epiſc. anno 1245. quæ *Ottonis* Præpoſiti Charta finitur his verbis: Teſtes hujus rei ſunt: *Otto major Præpoſitus Trajectenſis, Reimboldus major Decanus . . . . . Hæc facta ſunt anno incarnationis Domini* CIↃ. CC. *quinto.*

Nihil cauſæ eſt, ut huic Chartæ vim adferamus, dicamuſque legendum an. 1208. ubi perſpicue additur an. 1205.

Iſtud

Iſtud tamen Drakenburgio placere poſſet, & mihi aliquando, dum notis Arithmeticis Romanis annus exprimitur, minime vero dum litteris. Dubitat ille, an hi, (inter quos *Ottonem* Decanum poſui medium), *Reimboldus*, *Remboldus*, *Reinboldus* & *Reynboldus*, non diverſi ſint, ſed unus ſit. Verum anni diſtinctè & perſpicuè in Chartis notati, prohibent unum tantum *Reimboldum* Decanum facere: Tum quod *Otto* Decanus non ſine cauſa rejici poſſit, & nulla adſit ob quam Drakenburgius velit eſſe legendum: *Otto Præpoſitus*, ubi Charta habet: *Otto Decanus*; tum maxime quia ipſemet in catalogo Præpoſitorum B. Mariæ, docet, *Remboldum* B. Mariæ Præpoſitum, anno 1210. factum eſſe Decanum Majoris. Reſtat igitur, ut *Remboldus* qui anno 1205. *major Decanus* fuit, alius ſit ab illo qui anno tantum 1210. ad hanc dignitatem pervenit: præcipue ſi alius rurſus Decanus medius fuerit.

An. IX. Otto Decanus. Hunc ad eumdem hunc annum ad-
1208. ducit Heuſſenius, & invenitur in Charta *Theodorici II.* Epiſc. apud Matth. in notis ad Anonym. de Rebus Ultraj. p. 128. quæ ita ſubſcripta eſt: *Aſtiterunt huic donationi noſtræ viri eccleſiaſtici* Otto *major Decanus in Trajecto . . . . acta ſunt hæc anno incarnationis Dominicæ* M. CC. VIII. *Indictione* XI. *anno noſtri Pontificatus decimo.* Perſpicua hæc, & nullam habent contradictionem.

An. X. Remboldus Decanus anno 1210. juxta Drakenbur-
1210. gium; anno 1219. juxta Heuſſen. in catalogo. Occurrit
1219. mihi ad an. 1224. in Charta quæ eſt apud Matth. Analect.
1224. tom. 6. p. 56. ubi ſcribitur: Reinboldus *major Decanus.*
1225. Ad an. 1225. in Charta *Ottonis* de Lippia Epiſc. ejus nomi-
1226. nis II. apud Matth. de Jur. Glad. p. 424. ubi Reynbol-
1227. dus *major Decanus.* Eodem modo ejus nomen ſcribitur in
1228. Charta anni 1226. apud Matth. in notis ad Anonym. de Reb. Ultraj. p. 161. aſt in alia Charta quæ eſt ibi p. 159. 160. anni 1227. *Remboldus*, ſed hæc præfert annum 1228. apud Buchel. ad Hedam. p. 203. & apud Matth. de Nobil. p. 1061. qui proinde corrigendus eſt pag. 798. ubi huic Chartæ addidit annum 1220. An etiam corrigendus Heuſſenius qui *Remboldum* obiiſſe ſcribit anno 1227. 10. Decembris? Brockius eumdem diem exprimit, annum nullum.

An. XI. Henricus de Breda Decanus in Charta *Ottonis*

Electi

Electi anni 1240. in Hiſt. Epiſc. Daventr. p. 31. Heuſſen. 1234.
cognomen ignoravit, aſt tribuit illi annum 1234. quem etiam 1240.
habet Drakenburg. ex Brockii MS. Erat filius *Godefridi II.* 1246.
Domini de Breda, & patruus *Godefridi IV.* cui ſine liberis mortuo ſucceſſit anno 1246. quando Decanatui Majoris nuntium remiſit ducta uxore, & factus eſt Dominus de Breda *Henricus II.* V. Butkens nov. edit. tom. 2. pag. 75.

Huic *Henrico* ſubjungit Heuſſenius *Theodoricum majorem Decanum* 1247. Sed is nemini occurrit, & a Drakenburgio omittiur, quamvis ei locus eſſe poſſet, pro tribus annis, aut quatuor.

XII. AMELIUS Decanus, cui Heuſſ. adſcribit annum An.
1250. Eumdem habet in MS. ſuo Brockius. 1250.

XIII. PETRUS DE DWARSDYCK Decanus Anno 1257. An.
& 1261. moritur 27 Julii. Ita Heuſſen. Ita quoque MS. 1255.
Brockii apud Drakenburg ex quo addendus annus 1255. 1257.

XIV. ÆMILIUS vel AMYLIUS Decanus, forte idem qui 1261.
Heuſſenio *Amelius*, ſed non conveniunt tempora, maxime ſi An.
Petrus de Dwarsdyck inter hos medius. Exſtat apud Matth. 1267.
Fund. & Fata p. 67. Charta fundationis quarumdam miſſa- 1269.
rum, cui ÆMILIUS *Decanus majoris Eccleſiæ Trajectenſis* 1271. 1281.
ſigillum ſuum appoſuit *anno Domini* CIↃ. CC. *ſexageſimo ſeptimo*, quam pro more ſuo, tacito auctore, deſumpſit Heuſſenius, & inſeruit Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 59. Occurrit in Charta anni 1271. De Nobil. p. 270. ubi *Amylius.* Etiam in Charta anni 1282. ibid. p. 1066. ubi *Æmilius*, & quæ data fuit *anno incarnationis Dominicæ Milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſecundo.* Obiit eodem anno 1282. ſecundum M. S. Brockii apud Drakenb.

XV. STEPHANUS de SCHALCKWYCK Decanus anno An.
1289. Obiit 11. Septembris 1295. vel ſtatim poſt. Ita Heuſſ. 1289.
Ego illi tribuendum video annum 1289. ex Charta quam 1294.
dedit Buchel. ad Hedam pag. 225. & ſeq. Item annum 1294. 1295.
ex Charta quæ eſt apud Matth. de Nobil. p. 828. 829. 830. Diem obitus recte notavit Heuſſ. nam in Necrologio S. Salvatoris ad III Idus Septembres ita lego: *Obiit Dominus* STEPHANUS *major Decanus presbyter Canonicus noſter.* Condidit teſtamentum anno 1295. *in craſtino diviſionis Apoſtolorum* quod edidit Matth. in tomo ſeparato, ubi collegit *Andreæ Alciati*

aliorumque Epiſtolas & aliquot teſtamenta. p. 475. Cognomen videtur recte tribui, ita enim in teſtamento p. 477. *Item* (do, lego) *Stephano cognato meo de Scalcwyc unum jurnalem jacentem in Galencop.* Obiit eodem anno 1295. MS. Brockii. Drakenburg.

An. 1297. XVI. ARNOLDUS *de* FORESTO, alias *Foreeſtus* occurrit ad an. 1297. in Charta ex Archivis Hollandicis quam dedit Matth. de Jur. Glad. p. 422. 423. Nullum illi annum in catalogo ſuo tribuit Heuſſen. ſed in ſerie Commendatorum Ordinis Teutonici Leidæ, quam habet p. 435. celebrans *Adrianum Foreeſtum Commendatorem* addit: *Arnoldus Foreeſtus majoris Eccleſiæ Ultrajectenſis Decanus ſub an.* 1290. Facilis eſt error in litteris numeralibus, & ipſe ſui oblitus, in Catalogo omnem ignoravit annum. Ceterum erroneus erit, quem in Catalogo expreſſit, annus obitus: 13. *Jan.* 1296. ubi eum in vivis aſpicis anno 1297. die 9. Octobris, in Charta ſup. cit. Obiit autem die 13. Januarii 1301. uti Drakenburg. ex Brockio.

An. 1307. 1309. XVII. WILHELMUS CLAUWERT Decanus Trajectenſis obiit 13 oct. 1309. Ita Heuſſen. MS. Brockii Decanum notat anno 1307. & diem obitus ponit 23. Octobris.

An. 1312. XVIII. GERARDUS de WIT alias SOUDENBALG Decanus, Præpoſitus B. Mariæ Trajectenſis, qui moritur 23. Aprilis 1312. Ita Heuſſen. in Catalogo. Nihil horum compertum habeo, aſt Necrologium S. Salvatoris ita habet: *VIII. Kal.* (Majas) *obiit Gerardus Albus major Decanus presbyter, de V. Jugeribus in Linſcoten.* Et Necrologium S. Petri apud Matth. Fund. & Fata p. 117. nullo die notato: *Obiit* GERARDUS ALBUS *Decanus majoris Eccleſiæ Trajectenſis.* Decanum intelligis haud dubiè: Præpoſitum B. Mariæ fuiſſe conſtat ex catalogo Brockii, quem ſequitur Drakenburgius.

An. 1312. 1318. 1322. XIX. JACOBUS de OUTSHOORNE Decanus. Ita ſcribendum familiæ nomen monuit Matth. Analect. tom. 9. p. 177. qui pariter me docuit pag. ſeq. quod *Jacobus* Decanus Majoris fuerit jam anno 1318. Brockius vult id contigiſſe ſtatim poſt obitum *Gerardi Albi*, adeoque an. 1312. Anno 1322. feſto SS. Joannis & Pauli, id eſt 26. Junii primum lapidem poſuit turris S. Martini Ultrajecti, ex libro Memoriarum, quem adfert Matth. Fund. & Fat. p. 32. Eodem anno, die 26. Julii, electus eſt Epiſcopus Ultrajectinus, cujus electio-

electionis inſtrumentum dedit Analect. tom. 1. p. 188. & ſeqq. Confirmatus fuit ab Archiepiſcopo Colonienſi *Henrico*, non a Papa, quod ei obſtare voluit ejus competitor *Jacobus* Zudenſis Epiſcopus, a minori parte Capituli poſtulatus. V. Chron. Latin. apud Matth. Analect. tom. 9. p. 53. Non ſuperfuit niſi duobus menſibus, ita enim habet Necrologium S. Salvatoris: *XI. Kal.* (Octobr.) *Anno Domini* CIↃ. CCC. XXII. *obiit Jacobus de Outshoern Decanus majoris Eccleſiæ, electus & confirmatus in Epiſcopum Trajectenſem.* Laudatur a Joanne Beka.

XX. Seephanus de Bosichem Decanus ſucceſſit An.
Jacobo de Outshoorne inquit Heuſſen. in Catalogo. Non re- 1322.
pugno. Sed non ſucceſſit anno 1321. ut ibi, nam cùm *Jacobus* eligeretur Epiſcopus 26. Julii 1322. erat Decanus Majoris, & ea qualitate præfuit electioni, prout patet ex Inſtrumento ſup. cit. Hunc *Stephanum* obiiſſe ſcribit 11. Septembr. 1323.

XXI. Giselbertus de Everdingen Decanus. An.
Præfuit juxta Heuſſen. in principio Maji 1324. Occurrit 1324.
mihi ad annum 1326. in Charta *Joannis Dieſtenſis* XLV. Epiſ- 1326.
copi apud Matth. Analect. tom. 4. p. 418. & ſeqq. De *Giſel-* 1330.
berto ita proſequitur in Catalogo Heuſſenius: „ Anno 1330. „ tandem ceſſit Decanatui, quem permutavit cum *H. de* „ *Jutphaes* pro Præpoſitura Elſtenſi, & obiit 28. Maji anno „ 13.... Vixit 1330. 1334 “. Concordat cum MS. Brockii apud Drakenburg.

XXII. Henricus de Jutfaes vel Jutphaes præ- An.
fuit anno 1337. & 1346. ita Heuſſenius. Si verum eſt quod 1330.
ſtatim dixit, nonne præfuerit anno 1330? Occurrit mihi ad 1333.
an. 1338. in Charta quæ eſt apud Matth. de Nobil. p. 910. 1337. 1338.
911. In teſtamento *Florentii de Jutphaes* Præpoſiti Majoris 1343.
de anno 1333. eſt *Henricus* Decanus Majoris non addito 1344.
cognomine. V. Collect. Epiſt. Alciati aliorumque a Matthæo 1345.
editam a pag. 536. Occurrit ad annum 1343. de Nobil. p. 1348.
615. Et exſtat Charta ipſiusmet *Henrici* de anno 1344. ibid. p. 844. & altera de anno 1345. quæ ſic incipit: *Wy* Henrick *by der ghenaden Goeds Doemdeecken* &c. de Jur. Glad. p. 123. Heuſſ. ſcribit eum obiiſſe anno 1346. 30. Octobr. Brockius notat, eum Decanum fuiſſe etiam menſe Aprili 1348.

An. XXIII. Henricus de Weyda Decanus. Huic attri-
1348. buit Heuſlenius annos 1338. (Scribendum erat 1348.) &
1353. 1353. 1355. Vacante per tranſlationem *Joannis Arckelii* ad
1355. Cathedram Leodienſem, ſede Ultrajectina, *Henricus* a quin-
1364. que Capitulis electus fuit Vicarius Generalis 22. Junii 1364.
1365. cujus electionis Chartam dedit Matth. Analect. tom. 9. p.
1366. 217. & p. 222. aliam Chartam ex qua patet, jurisdictionem
ab eo exercitam fuiſſe; & quibus Chartis uſus ſum contra
ſomnia Ultrajectenſium ſchismaticorum, de quibus V. *Spe-
cimen eruditionis Broederſenianæ.* Anno 1365. recepit, uti Deca-
nus, juramentum *Johannis de Vernenburch* Epiſcopi Ultra-
jectini, qua de re Charta loc. anal. cit. p. 224. quæ eadem
male præfert annum 1364. apud Matth. de Nobil. p. 786.
787. Anno 1366. ſubſcripſit fundationi Capituli *S. Pancratii*
in oppido Leidenſi, cujus tabulas dedit Heuſſ. in Bat. ſac.
part. 2. p. 253. & ſeqq. qui in Catalogo ſtatuit illum obiiſſe
1370. 8. Novembr. 1370. quod idem ex MS. Brockii notat Drakenb.

An. XXIV. Lubbertus Bolle, Bollen, Bol, imo
1373. Bollus Decanus. Occurrit in duabus Chartis vernaculis
1375. *Alberti Bavari* anni 1373. ubi *Haren* Lubbrecht Bollen
1380. *Domdeecken t'Utrecht* apud Matth. de Jur. Glad. p. 239. 240.
1386. Anno 1375. acceptavit nomine Eccleſiæ Trajectenſis me-
1393. morabilem donationem factam a *Suedero Uterloe* Præpoſito
Majoris, cujus Charta eſt apud Matth. Fund. & Fata p. 44.
45. in qua: *Lubbertus Bol Decanus Eccleſiæ Trajectenſis.* In
Charta *Florentii* Epiſcopi de anno 1380. eſt *Lubbertus Deca-
nus* non adjecto cognomine. De Nobil. p. 382. In ejuſdem
Epiſcopi Charta de anno 1386. 19 Januarii, eſt *Lubbertus
Bollus* apud Buchel. ad Hedam p. 264. Mortuo dein *Floren-
tio de Wevelinckhove* Epiſcopo L. recepit uti Decanus jura-
mentum Prætoris & Scabinorum 18 Aprilis 1393. de Jur.
Glad. p. 464. Ingreſſus eſt poſtea Ordinem Equitum Teu-
tonicorum, quo anno incompertum. Non ſatisfacit Heuſ-
ſenii annotatio, qui id contigiſſe dicit poſt 1583. & am-
plius etiam errat *Henricus van Ryn* hujus interpres, qui
Lubbertum illo ipſo anno 1383. Religioſum facit, habemus
enim eum Decanum anno adhuc 1393. In codice Anniverſa-
riorum Monaſterii Canonicorum Regularium Ultrajecti, ad
menſem Novembris ita legitur: *Magiſtri Lubberti Bolle quon-*

dam:

dam Decani Trajectenſis, & poſtea facti de Ordine Teutonicorum. Fund. & Fata p. 235. Necrologium S. Salvatoris ad III. Nonas Novembr. exprimit diem & annum obitus: Anno CIↃ. CCC. XCVIII. *obiit Lubbertus Bol Decanus Eccleſiæ Trajectenſis. Dantur Dominis duæ partes duorum * loot argenti, & ſociis tertia pars duorum loot, ut in anniverſario* Gerardi Bierwiſch. MS. Brockii idem tempus obitûs habet, & notat *Lubbertum Bollum* depoſuiſſe Decanatum anno 1396.

XXV. Wilhelmus Buser Canonicus Trajectenſis An.
præfuit Decanatui Anno 1396. „ vivente adhuc *Bolle* “. Ita 1396.
Heuſſ. in Catalogo: & ſe vivo ſucceſſorem habuit *Hermannum de Lochorſt.* MS. Brockii. Proinde expungendus eſt *P. de Divendyck*, quem Heuſſenius ponit Decanum fuiſſe inter hos duos.

XXVI. Hermannus de Lochorst Decanus jam An.
anno 1400. 8 Novembr. uti eſt in Charta apud Matth. de 1400.
Nobil. in præf. ad libros tertium & quartum pag. ſi bene 1402.
numeres, 22. Adfuit anno 1402. 6. Aprilis cum *Frederico de* 1406. 1413.
Blanckenheim Epiſcopo Ultrajectino celebri ceſſioni arcis Co- 1423.
vordianæ in Drentia, ut ſcribit Revius Hiſt. Daventr. lib. 1. 1427.
mihi pag. 90. Cujus ceſſionis Inſtrumentum profert A. Matth. 1438.
in notis ad Anonym. de Rebus Ultraj. pag. 75. In ejuſdem Epiſcopi ſolemni, cum ſeptem ſtolis, juramento, ſuper jurisdictione quadam temporali, & ipſe juravit anno 1406. Charta eſt apud Matth. de Jur. Glad. p. 182. Occurrit ad annum 1413. apud Matth. de Nobil. p. 349. Hoc anno ſecundum Annales vulgares, uti notat Buchel. ad Hedam p. 279. orta eſt Ultrajecti ſeditio, inter cujus auctores eminebant *Hermannus* Decanus, & *Joannes Spiegelius*, Conſul urbis, qui ambo in exilium pulſi fuerunt: Rediit *Hermannus* Decanus, incompertum quo tempore, poſtea (id eſt poſt annum 1423. quando jam obierat *Fredericus de Blanckenheim* ſecundum Bockenbergium) a *Suedero Culemburgio* electo Epiſcopo Ultrajectino detentus fuit in vinculis, ut eſt in Ordi- *Manifeſt.*
num Ultrajectenſium publica Declaratione, quam edidit Matth.

* *loot.* Semuncia. *Duo loot.* Uncia. Proinde Canonicis cedebant tertiæ partes unciæ argenti, reliquâ tertiâ Choriſociis relictâ.

Matth. Analect. tom. 6. p. 320. V. pag. 340. Ceterum occurrit ad annum 1427. in Inſtrumento ſuper aſſumptione *Rudolphi de Diepholt* in tutorem & defenſorem patriæ Ultrajectinæ, contra *Suederum* prædictum, quod dedit Matth. Analect. tom. 9. p. 325. V. notas ad Rer. Amersfort. ſcript. p. 272. Fuit hic *Hermannus* Canonicus Leodienſis, & magnus patruus alterius *Hermanni de Lockhorſt* Decani S. Salvatoris, ut notat Buchel. ſup. p. 325. Annum & diem obitus habe ex Necrologio Eccleſiæ Majoris apud Matth. Fund. & Fata. p. 35. *Anno Domini* CIↃ. CCCC. XXXVIII. *ſexto die menſis Auguſti obiit venerabilis & circumſpectus vir Dn.* HERMANNUS DE LOCKHORST *Decanus Eccleſiæ noſtræ Trajectenſis, in cujus anniverſario die &c.* Male appellatur *Henricus* in Chron. auctiore Joannis de Beka, quod edidit Matth. Analect. tom. 5. p. 362. Et pag. ſeq. alius occurrit error, ubi *Joannes Spiegelius* appellatur Decanus Majoris, cum fuerit Conſul urbis, & *Hermanni* Decani Socius in ſeditione de qua ſtatim dixi. De illo meminit Pontanus Hiſt. Geldr. lib. 8. pag. mihi 388. qui lib. 9. pag. 422. notavit, *Hermannum* abfuiſſe ab electione Epiſcopi Ultrajectini, qua inter *Rudolphum Diepholdium* & *Suederum Culemburgicum* diviſa fuerunt ſuffragia.

An. 1438. 1449. XXVII. JOANNES PROEYS Decanus electus anno 1438. ut notavit Buchel. ad Hedam. p. 307. Heuſſen. addit diem 8. Novembris. Duos habuit fratres in Hiſtoria famoſos, *Jacobum* Prætorem Ultrajectinum, & *Bernardum* Scholaſticum Majoris. Anno 1449. per Rudolphum Diepholdium cum fratre *Bernardo* proſcribitur. Heda p. 287. Matth. in notis ad Rer. Amerſf. ſcript. p. 302. In Chron. Latin. quod edidit Matth. Analect. tom. 9. pag. 71. vocatur *Præpoſitus in ſummo.* Erat Canonicus S. Joannis & S. Mariæ, quibus præbendis ſimul fuit privatus cum Decanatu Majoris, ut patet ex Charta *Rudolphi* Epiſcopi de 10. Maji 1449. ubi ſolemniter expromittit & cavet Capitulo S. Joannis, nihil illis damni aut detrimenti acceſſurum quod præbendam Eccleſiæ ſuæ alteri contuliſſent, uti vacantem ex cauſa privationis a ſe decretæ, & factæ. V. Matth. de Nobil. p. 745. Ceterum eodem anno in ejus locum eligitur.

An. 1449. 1455. XXVII. WILHELMUS *de* HEES, *de* HESE & VAN HEZE Decanus 1. Auguſti 1449. ut eſt in Charta *Rudolphi* Epiſcopi, qua

qua Capitulo Majoris ſpondet, cavet, ſatisdat, uti ſupra Capitulo S. Joannis. V. Matth. in notis ad Rer. Amerſf. ſcript. p. 303. Præfuit electioni *Giſberti Brederodii* 7. Aprilis 1455. cujus Inſtrumentum edidit Matth. Analect. tom. 2. p. 432. Qui *Giſbertus* revocavit in urbem a Diepholdio proſcriptos, & hinc altera vice.

XXIX. JOANNES PROEYS Decanus anno 1455. die An.
25. Octobris ut vult Heuſſ. in Catalogo. Joannes a Leidis a 1455.
Matth. editus Analect. tom. 2. p. 351. perſpicue tradit, De- 1456.
canum Majoris a *Diepholdio* pulſum, a *Giſberto* in civitatem 1459. 1461.
revocatum. De reſtitutionis modo & ordine nihil comperi; 1465.
ſed Heda p. 292. & Joannes a Leidis cit. p. 361. tradunt, *Joannem* Decanum cum aliis pluribus ablegatum ad *Philippum* Ducem Burgundiæ, in celebri tractatu quum *Giſbertus* Epiſcopatum ceſſit *Davidi*, Ducis *Philippi* filio. Porro plena in dignitatem reſtitutio probatur ex eo, quod in ſolemni ingreſſu *Davidis* in Civitatem, ejus ſiniſtram tenuerit *Joannes Proeys*, ut eſt apud Joannem a Leidis ibid. qui honos ſoli competebat Decano Majoris. Porro *David* intravit Anno 1456. Occurrit uti Decanus in Charta anni 1459. de Nobil. p. 896. & ad annum 1461. in Charta de Jur. Glad. p. 152. 153. Anno 1465. a *Davide* rurſus Trajecto pellitur, & Decanatu privatur, ut habet Heda p. 294. Moritur, inquit Heuſſen. 19. Decembris anno 1482.

Bockenbergius in Genealogia Brederodiorum p. 33. 37. 38. hunc *Joannem* Decanum Majoris ſemper appellat cognomine *Reneſſe* contra fidem *Wilhelmi Hedæ*, aliorumque quos citavi. In appendice catalogi Drakenburgiani ponitur obiiſſe anno 1449. menſe Julio. Neſcio quid opus erat hac ineptiſſima correctione.

XXX. LUDOLPHUS *de* VENO, alias *van den Veen*, An.
etiam *van den Vene*, & *Ludolfus a Venne* quin etiam *de Venna*, 1471.
Decanus. An electus fuerit cum *Joannes Proeys* altera vice 1474. 1476.
deponeretur, incompertum eſt mihi. Heuſſen. in Catal. dicit 1477.
eum admiſſum fuiſſe 11 Julii 1471. idem Drakenb. ex Brockio, 1481.
qui eum viventi *Proeyſio* ait ſucceſſiſſe. Revius in Hiſt. Da- 1494.
ventr. lib. 2. pag. mihi 124. refert eum anno 1474. a *Davide* 1496.
Burgundo Præſidem conſtitutum Senatûs a ſe Ultrajecti inſti- 1501. 1508.
tuti, eumque appellat *Ludolfum a Venne Decanum Eccleſiæ Cathedralis*

thedralis Ultrajectinæ, J. U. Licentiatum. Tabulas ipſas erecti Senatus dedit Matth. de Nobil. p. 697. 680. ubi *Ludolf van den Veen Domdeken.* Heuſſenius eum celebrat Vicarium Generalem *Davidis* Epiſcopi, Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 28. contradicentibus Annalibus Egmundanis a Matthæo editis, ubi quidem cap. 87. *Ludolphus de Campen* (erat enim Campenſis) a Senatu remotus a *Davide* dicitur, ſed *Theodoricus Uyterweert* Vicarius ejus nominatur. Idem reperias in Annalibus vulgaribus a Matth. editis in Analect. tom. 2. p. 1. Anno 1476. *Arnoldus Heymricius*, Decanus Xantenſis, inſcripſit *Ludolpho de Venna, Campenſi Sacroſanctæ Trajectenſis Eccleſiæ majori Decano*, opuſculum ſuum continens conflictum inter patientiam & fortunam *Roperti* Archiepiſcopi Colonienſis, cum hiſtoria *Davidis Burgundi* Epiſcopi Trajectenſis, quod edidit Gerhardus Dumbar Reip. Daventrienſi ab Actis, Analectorum ſuorum tom. 1. a. p. 347. Exſtat Charta *Davidis* de 28. Julii 1477. qua *Ludolphum* Decanum Majoris a Senatu removit & extra civitatem eſſe juſſit ad tempus. V. notas A. Matthæi ad Annal. Egmund. p. 256. 257. Quadriennio poſt in urbe fuit, ut eſt in dictis Annalib. vulg. Hollandiæ & Ultraj. pag. 1. Et anno 1496. præfuit tamquam Decanus Major electioni *Frederici* Marchionis *de Baden*, cujus tabulas dedit A. Matth. Analect. tom. 4. p. 437. & ſeqq.

Ceterum magnus error eſt in Annalibus vernaculis *Henricæ ab Erp* Abbatiſſæ ab. A. Matth. editis Analect. tom. 1. ubi p. 182. ex belgico reddita hæc verba leguntur: *Dn̄a* Joanna van Hoenbroeck *electa eſt Abbatiſſa anno* 1549. *feria ſextâ; ætatis ſuæ ann.* 38. *& confirmata fuit feria tertia poſt S. Lamberti, præſentibus Mag.* Ludolpho van den Vene *decano majoris Trajectenſis*, *D.* Hermanno de Lochorſt *decano S. Salvatoris, & M.* Wilhelmo Buſer *notario.* Et verba vernacula, ut ne dubites. In nova editione in 4. tom. 1. pag. 121. „ Vrou *Johanna* van *Hoenbroeck* gecoren Abdiſſe in 't jaer „ van 1549. op Vridach, ende doe was ſy out 38. jaer, „ ende wort geconfirmeert des Dynsdaechs na St. Lambrechts „ dach ter preſentie van Mr. *Ludolph* van den *Vene* Domdeec„ ken t'Utrecht, H. *Herman* van *Lochorſt* Deken tot Oude„ munſter, ende M. *Willam Buſer* Notarius ". Magnus inquam error. Contigit namque hæc Abbatiſſæ confirmatio

tempore

tempore Præfecturæ utriuſque Decani, quod (ne litteras numerales nimium tranſponamus) commode invenitur ad annum 1494. quo certe tempore *Ludolphus* noſter fuit Decanus Majoris, & *Hermannus de Lochorſt* Decanus S. Salvatoris. Si hæc confirmatio facta fuit anno 1549. ut habet vitioſa editio, jam contigiſſet annis omnino quadraginta a morte *Ludolphi* Decani Majoris, utpote qui, ut ſtatim videbimus, obiit anno 1508. 16. Decembris.

Occurrit *Ludolphus* van den *Vene* in Charta Frederici Badenſis de anno 1501. 9. Martii quæ eſt apud Matth. in Notis ad Rer. Amersf. ſcript. p. 343. Fuit Canonicus S. Salvatoris, ut intelliges ex Necrologio hujus Eccleſiæ. *Anno* CIↃ. IↃ. *octavo, menſis Decembris die* XVI. *obiit venerabilis & egregius vir magiſter Rudolphus de Veno, Decanus Majoris Eccleſiæ, Canonicus noſter, pro quo* &c. Matth. Fund. & Fata pag. 107.

XXXI. JACOBUS DE APPELTEREN Decanus ſucceſſit An.
Ludolpho, admiſſus ſecundum Heuſſenium 15. Januarii 1509. 1509.
Idem Brockius. Occurrit in Charta anni 1514. quæ eſt de 1514.
vita & morte Ven^lis^. *Bertæ*, Recluſæ Ultrajectinæ, quam 1515. 1517.
dedit A. Matth. Fund & Fata in præf. editionis anni 1703. 1521.
qua hucuſque ſum uſus. Eandem dedit Papebrochius in 1524.
Actis ad diem 25. Junii p. 152. Et in Charta *Frederici Badenſis* de anno 1515. apud Hedam p. 320. Adfuit ſolemni ingreſſui *Philippi de Burgundia* 19. Maji 1517. cujus introitus tabulas publicas dedit Matth. Analect. tom. 1. pag. 282. Superfuit anno 1521. cum inſtitutus eſt executor teſtamenti *Joannis* Domini de Montfoert, de Purmerende, Linſchoten, Abbenbroeck &c. quod exſtat apud A. Matth. Analect. tom. 3. p. 496. & ſeqq. Legitur in quinque Capitulorum libello, quo *Clementi* VII. ſupplicarunt pro confirmatione *Henrici Bavari* poſt *Philippi Burgundi* mortem poſtulati, quem libellum, mutilum tamen & ſine anno & die, edidit A. Matth. in notis ad Anonym. de Rebus Ultraj. pag. 121. Proclamavit tamquam Decanus Majoris ex oxali jam dictam poſtulationem *Henrici Bavari*, ut eſt in notis ad calcem Hortenſii, quæ proclamatio contigit anno 1524. Corrigenda proinde A. Matthæi prolapſio, qui in notis citatis pag. 120. *Jacobus de Apelteren Decanum* electioni *Frederici Badenſis* præfuiſſe voluit, cùm quæ

ibi adfert, referenda ſint vel ad electionem *Philippi de Burgundia*, vel ad poſtulationem *Bavari.* Ob populares motus Ultrajecti ortos, ex urbe ad *Carolum* Gelrorum Ducem profugit uti narrat Hortenſius Rer. Ultraj. lib. 2. pag. mihi 33. Notatur ibidem in margine, quod ultimum diem obierit 27. Maji 1526. Ita quoque Heuſſ. in Catalogo, & Drakenb. ex MS. Brockij.

An. XXXII. AMELIUS vel ÆMILIUS *a* SUYLEN *a* NIEVELT
1526. Decanus ſucceſſit *Jacobo de Appelteren*, ut eſt apud Horten-
1527. ſium cit: qui eum *armis magis factionis*, *quam ſodalium ſuorum*
1528. *ſuffragiis ſuffectum* ſcribit: Fuit auctor jungendæ ſocietatis cum Geldro, & belli cum *Henrico Bavaro* gerendi. De illo meminit Hortenſius lib. 5. p. 111. ad annum 1527, & lib. 7. p. 158. ad an. 1528. Ceſſit ille tandem, imò aufugit; capta per *Henricum Bavarum* Civitate, ſingulari mulieris pietate ſervatus, uti narrat Hortenſius. Sed huic non ſucceſſit *Joannes van der Vorſt*, prout ſcribit Heuſſenius, & ad marginem Hortenſii notavit *Lappius*, ſed *Thomas de Niekerken.* Ceterum *Amelius* obiit exul anno 1554. ut ſcribit Heuſſenius Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 456. ubi eum numerat inter Præpoſitos S. Pancratii Leidæ.

An. XXXIII. THOMAS *de* NYEKERCKEN, Decanus. Hunc
1528. non inſeruit Catalogo ſuo Heuſſenius, quamvis indubitatum ſit, Decanum Majoris fuiſſe, & probationem certiſſimam attulerit ipſe. Neque hanc oblivionem ſupplevit *Henricus van Ryn*, ejus interpres belga, quamtumvis ſplendeſcere voluerit antiquitatis Eccleſiaſticæ peritia, quam porro conſtituiſſe videtur in perpetuo pruritu circumrodendi Clericorum vitam, mores, & acta, ipſe laicus. De tempore & modo quibus *Thomas* Capitulo Majoris Decanus datus eſt, non liquet. Erant dies perturbatiſſimi, & veriſimile ſit, *Amelio Niveldio* malis artibus promoto, in Epiſcopum *Henricum Bavarum* rebelli facto, & conquiſito ad vincula, atque tandem elapſo ſub veſtis variæ habitu, & obnupto capite, ut ſcribit Hortenſius lib. 7. pag. mihi 158. ſuffectum fuiſſe victoris Epiſcopi gratia & favore *Thomam de Nyekerken.* Suffectum fuiſſe conſtat. Adfuit namque uti Decanus Majoris, ceſſioni temporalitatis Ditionis Ultrajectinæ ab *Henrico Bavaro* in *Carolum* V. Cæſarem tranſlata, cujus inſtrumentum 21. Octobr.

anni

anni 1528. confectum dedit ipſe Heuſſenius in Bat. Sac. part. 1. pag. 240. ubi male gloriatur illud a ſe primo productum & nondum editum fuiſſe: nam A. Matth. viginti & octo annis ante ipſum in Tract. de Nobil. pag. 858. & ſeqq. dedit illud accuratius multo & integrius. Eodem anno 13. Novembris *Thomas* & reliqui Prælati ac quinque Capitula Ultrajectenſia, ſuo & Cleri nomine, fidem jurarunt *Carolo* Cæſari, & viciſſim Cæſar Clero. Tabulas dedi in præcedenti Collectione Tractatuum Ceſſionis prædictæ. Fuit etiam Decanus S. Joannis, uti patet ex tabulis ultimo citatis, & nos ſuo loco dicemus.

In ſpecimine erudit Broeders. n. XIX. negavi, *Thomam de Nyekerken* Decanum Majoris fuiſſe, ſecutus Heuſſenium ibi citatum. Quid inde? Nempe male mihi evenire, dum illi ſoli adhæreo. Ceterum nihil propter hæc mutandum in dicto *ſpecimine*, ubi *Thomas de Nyekerken* Vicarius Generalis ſede vacante factus eſt anno 1524. quo nempe nondum erat Decanus Majoris, & ut fuiſſet, nihil hinc Broederſenio, utpote quum conſtet, a quinque Capitulis electum fuiſſe Vicarium, minime vero præfuiſſe vi officii, ut ille ſomniavit.

XXXIV. JOANNES *van der* VORST Decanus, admiſſus An.
juxta Heuſſen. 10. Novembris 1529. Erat filius *Joannis van* 1529.
der Vorſt Domini de Loenbeke, Vroenhove &c. Cancellarii 1531.
Brabantiæ, & *Joannæ van Thielt*. In Sacello nominis JESU 1532.
in Eccleſia Collegiata SS. Michaëlis & Gudulæ Bruxellis, 1534. 1538.
eſt vitrea feneſtra donata per *van der Vorſtios*, in qua affabrè 1540.
cum ſcutis gentilitiis depictæ ſunt imagines filiorum Cancella- 1546.
rii, inter quos *Joannes* Decanus, qui fuit etiam Præpoſitus Cameracenſis, & Canonicus S. Lamberti Leodii. Le Grand Theatre Sacré de Brabant tom. 1. p. 218. col. 2. In Gallia Chriſtiana tom. 3. col. 68. B. ubi male ſcribitur: *Woorſtius* inter Præpoſitos Cameracenſes his verbis: *Johannes XI. Woorſtius fratrem ſuum Petrum in præpoſitura excepit per reſignationem die* 18. *Junii* 1529. Occurrit ad annum 1531. in Charta circa immutatum tempore *Caroli* V. Epiſcoporum Ultrajectinorum juramentum, quam edidit A. Matth. de Nobil. p. 742. Et ad annum 1532. in Charta quæ eſt apud Heuſſen. Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 585. col. 1. Anno 1534. ex oxali proclamavit electionem *Georgii Egmondani*, uti notavit Matth. Fund.

 &

& Fata p. 224. in marg. & ex illo Heuſſ. ſup. p. 547. col. 1. ad calcem. Anno 1535. a Capitulo S. Joannis in emphyteuſim accepit domum quam inhabitaverat *Philibertus Naturelli* Præpoſitus Majoris, ut eſt in Charta quam adfert Matth. inter Epiſtolas Andreæ Alciati & aliorum p. 513. Anno 1538. ab eodem *Georgio* Epiſcopo Coloniam ablegatus eſt ad *Hermannum* Archiepiſcopum Electorem, & ad Conventum Eccleſiaſticum Provinciæ Colonienſis à ſe convocatum ſuper Concilio Generali a *Paulo* III. indicto. Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 533. Anno 1540. 14. Auguſti orationem habuit ad *Carolum V.* Cæſarem, eo die Ultrajectum cum pompa intrantem. Annales Henricæ ab Erp a Matth. editi tom. 1. Analect. pag. 171. Refertur in actis Curiæ Provincialis Ultrajectinæ ab A. Matth. de Jur. Glad. p. 448. quibus nullus adſcriptus eſt annus. Obiit *Joannes* Decanus anno 1546. die 8. Novembris. Heuſſ. Gallia Chriſt. Grand Theat. Sac. de Brab. tom. 2. novæ edit. p. 367.

An. 1549. XXXV. ADRIANUS DE RENESSE DE WULVEN filius *Joannis* (cujus mater erat *Margareta van Culemburch*, quæ erat filia *Hedwigis Iſelſteyn vanden Boſch*, natus an. 1501. (quem de Sacro Fonte Baptismatis ſuſcepit *Adrianus Florentii* Ultrajectinus, poſt *Adrianus VI.* Pont. Max.) factus eſt Scholaſticus Majoris 6. Aprilis 1535. & die 18. Aprilis 1549. electus eſt Decanus poſt obitum *Joannis vander Vorſt*, & poſtquam Decanatus vacaſſet annos duos, menſes quinque. Drakenburg. Heuſſenius in Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 42. col. 1. ait, non tantum Decanum Majoris, ſed etiam Præpoſitum fuiſſe: quod ultimum nemo dixit, & ipſe ſui oblitus, nullum ei locum inter Præpoſitos Majoris dedit.

Die 3. Octobris ejuſdem anni orationem Latinam habuit ad *Philippum* Hiſpaniarum Principem, cui in majori eccleſia nomine *Georgii Egmondani*, Epiſcopi, qui cum quinque Capitulis aderat, gratulatus eſt adventum in ditionem Ultrajectinam. Poſtero die idem officium nomine Epiſcopi & Ordinum explevit apud *Mariam* Reginam Angliæ, *Philippi* uxorem. Alteram ad *Philippum* orationem habuit domi Decani S. Joannis *Thomæ Nykerken*, quam inhabitabat cum aulicis ſuis, antequam ad eccleſiam majorem procederetur ad inaugurationis ſolemnia peragenda, ubi Princeps in manibus *Adriani*, uti

Decani Majoris, fidem juravit Ultrajectenſibus, & hi eidem. Vide A Matth. de Nobil. pag. 738. Formulam juramenti a *Philippo* præſtiti dedit Heuſſen. Hiſt. Epiſc. Ultraj. pag. 534. & pag. præced. col. 2. in fine ita habet: *Poſt Georgii Egmondani Ultrajectenſis epiſcopi obitum ad ſedem Ultrajectinam nuper in Metropolitanam erectam, per Philippum Hiſpaniarum principem nominatus fuit Hadrianus Reneſſe, metropolitanæ eccleſiæ decanus, ſcholaſticus & canonicus, arcani Conſilii conſiliarius, ſed dum confirmationem Papæ exſpectat, ex quartana febre vitam cum morte commutavit anno* 1559. 7. *Decembris, ætatis* 78. Tempus mortis convenit cum regiſtro Curiæ Ultrajectinæ quod adfert Matth. de Nobil. p. 645.

De nominatione *Adriani* ad ſedem Ultrajectinam, fides ſit penes Heuſſenium. Sed id apud nullum auctorem legas: & ego adduci non poſſum ut credam, ſi vera ſint quæ de *Adriano* imprudentiſſime narravit Heuſſenius in Bat. Sacra & quæ ego nullatenus probo, tum quia apud neminem bono eſſe exemplo poſſunt, tum quod ad dignoſcendam perſonam faciant nihil. Drakenburgius & moderatior fuit & prudentior.

XXXVI. Joannes vanden Vecht Campenſis Tranſiſulanus, poſt unius anni vacationem a Capitulo Decanus electus eſt 29. Decembris 1560. *Drakenb.* Subſcripſit Synodo provinciali Ultrajectinæ ſub *Schenckio* anno 1565. Bat. Sac. part. 2. p. 26. Obiit 22. Aprilis 1572. anno 46. ætatis ſuæ; natus enim erat 1. Maji 1526. Ita in *MS. Brockii apud Drakenb.* An. 1560. 1565.

XXXVII. Joannes Bruhesius Decanus, ſucceſſit *Vechtio* 20. Maji 1573. Heuſſen. in Catalogo, & in MS. Brockii. Exſtat apud Matth. de Nobil. p. 791. 792. epiſtola *Bruheſii.* ſcripta die 30. Januarii 1577. ad *Hermannum van Lynde* Centurionem in legione Comitis *de Bouſſu*, occaſione anguſtiarum initio tumultuum Belgicorum, quam ſignavit his verbis: *Jan van Bruebeſen onſalighe Domdeken van Utrecht.* Quæ e belgico latine reddo: *Joannes a Bruebeſen infortunatus Decanus Ultrajectinus.* Refert Havenſius de Erect. Nov. Epiſc. lib. 1. pag. 53. liberam vocem *Bruebeſii* in publico Ordinum Ultrajectinorum conſeſſu pronunciatam. Die 2. Martii 1577. Civitate exceſſit, Embricam primum, poſtea Coloniam profectus, ubi Metropolitanæ eccleſiæ Canonicus factus eſt die 5. Julii 1584. ubi etiam obiit, ſepultus apud Carthuſianos, An. 1573. 1577.

cui ſcriptum eſt epitaphium, quod ex Havenſio ſubjungo: *Anno a Chriſto nato* 1600. 10. *Septembris obiit Reverendiſſ. D.* JOANNES A BRUEHESEN, *Juris utriuſque Doctor, Eccleſiæ Ultrajectinæ primo Decanus, ac poſtea deſignatus Archiepiſcopus, Protonotarius Apoſtolicus, & Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis presbyter Canonicus. Cujus anima requieſcat in pace.* Viglius ſcribit ad Hopperum, quod *Joannes Vechtius*, ſubitanea & inopinata morte ſublatus ſit *die vigeſima quarta Aprilis* 1572. & quod Bruheſius *intempeſta nocte electus ſit, quò Regiæ Majeſtatis nominatio præveniretur.* Et hoc ultimum ſcripſit *nona Maji* 1572. V. ejus epiſtolas CLXII. & CLXVI. Hæc non concordant cum Brockii MS. Sed non ſunt tanti. Nominatio ad Decanatum Majoris pertinuit ad Regem ex Indulto Apoſtolico, uti notum. Nec ideo gratia Regia excidit *Bruheſius*, qui poſt multos annos a Philippo Rege nominatus fuit ad Archiepiſcopatum Ultrajectinum, non ſecuto tamen effectu. Qua de re ad manus meas venit autographa Regis epiſtola, quam, quia poſt editam meam *Hiſtoriam Eccleſiæ Ultrajectinæ* accepta fuit, hîc annexendam putavi. „ Mon „ bon Frere, Nepveu & Couſin. Pource que doiz le mois „ de Decembre 1591. ay faict ma nomination de Meſſire *Je-* „ *han Bruheſe* a l'Archeveſché d'Utrecht, dont fut lors en- „ voyée la depeche, & que depuis n'ay eſté adverty parti- „ culierement, s'il a accepté ladite dignité pour eſtre la Cité „ & pays d'Utrecht au pouvoir des rebelles: ſera a propos, „ que vous faictes informer de ce qu'a eſté faict de ladite „ depeche, ou bien ſi ledit denommé ſeroit depuis trespaſſé. „ Et en actendray advertence Votre, & que au cas de ſon „ trespas me propoſez avecq votre advis perſonnes convena- „ bles a telle dignité, afin que je face nouvelle nomination, „ non obſtant que ledit pays, & archeveſché ne ſoit encores „ remis en mon obeiſſance, comme doiz le premier de Mars de „ l'an 93. l'ay eſcript a mon Couſin le *Conte de Mansfelt* lors „ qu'il eſtoit commis au gouvernement general de pardelà. „ A tant Mon bon Frere, nepveu & Couſin, notre Seigneur „ Vous ait en ſa ſaincte garde. Del Pardo le 29. de Novem- „ bre 1595. *paraphé.* MDV[e]. Votre Bon Frere, Oncle, & „ Couſin. *Signé*: PHL. *plus bas*: A. De Laloo. *l'addreſſe* „ *etoit*: A Mon Bon Frere, Nepveu, & Couſin le Cardinal

„ Archiduc

„ Archiduc *Albert*, Lieutenant, Gouverneur & Capitaine „ general de mes pays d'embas, & de Bourgogne “. *Et eſt appoſé le cachet en cire rouge couvert de papier.*

Schismatici Ultrajectini pro commoditate cauſæ ſuæ commenti ſunt *Bruebeſium* fuiſſe Vicarium Generalem ſedis per obitum *Schenckii* vacantis, idque vi officii, & tamquam Decanum Majoris, ſine quinque Capitulorum electione. Hanc fabulam exagitavi in *ſpecimine eruditionis Broederſenianæ*, Anno 1730. vulgato, ubi vide Num. XXIV. & ſeptem ſequentes. Porro apud Auctores noſtrates, qui de *Bruheſio*, quia ad ſedem Ultrajectinam nominatus fuit, meminere, paſſim dictus eſt *Campinienſis Brabantus.* Fuit tamen nativitate *Bredanus*, uti habet Necrologium Eccleſiæ Bredanæ, quod cum his Analectis edere conſtitui.

In Necrologio Vallis B. Mariæ quod eſt apud Matth. Fund. & Fata p. 437. ad III. Kal. Febr. ita legitur. *Obiit dominus Joannes a Nyvelt Decanus ſummi templi in Trajecto inferiori, frater Theodoricæ a Nyvelt, monialis noſtri Conventus ann.* 1567. Nullibi hactenus inventus eſt mihi, & a nemine celebratur tamquam Decanus Majoris.

PRÆ-

PRÆPOSITI ECCLESIÆ S. SALVATORIS.

I. BERTOLDUS.
II. GOTSELURUS.
III. ALARDUS.
IV. LUDOVICUS.

Hi quatuor Præpoſiti ante *Blidgerum* collocandi ſunt: ut habet auctor append. Catal. Drakenb. nullis adſcriptis temporibus.

An. V. BLIDGERUS Præpoſitus. Heuſſen. in Catalogo, &
1063. ex illo Drakenburgius.

An. VI. LAMBERTUS Præpoſitus. Huic nullum annum dedit Heuſſenius, ſimpliciter ponens poſt *Blidgerum*: quod quia placere potuit Drakenburgio, & nihil occurrat quod reponi poſſet, acquieſcendum quoque putavi.

An. VII. ADELHARDUS Præpoſitus, ab Heuſſenio ignora-
1085. tus, occurrit in Charta *Conradi* Epiſcopi anni 1085. quam dedit Buchelius ad Hedam pag. 142. & inſertam Chartæ *Davidis de Burgundia* dedit A. Matth. de Nobil. p. 436.

Heuſſenius inter *Addenda* ad Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 535. ſcribit *Adehardum* Præpoſitum fuiſſe anno 1135. & citat Hedam p. 140. Utrumque male. Citare debuerat p. 142. & ibi non occurrit annus 1135. ſed, quem nos expreſſimus, annus 1085. Ad hæc cæcutiit *Henricus van Ryn* eumdem committens errorem tom. 2. p. 51.

An. VIII. HERIMANNUS, HERMANNUS, HARMANNUS,
1101. & apud Heuſſenium HARTMANNUS Præpoſitus in Charta
1105. *Burchardi* Epiſcopi de anno 1101. Apud Buchel. ad Hedam
1108. p. 145. Et in alia ejuſdem Epiſcopi de lite inter Eccleſias
1118. de *Slidrecht* & *Houweningen* anni 1105. ibid. p. 146. ubi eſt
1119.
1131. *Harmannus Præpoſitus S. Bonifacii.* Monui ſupra, Eccleſiam
1134. S. Salvatoris, olim S. Bonifacii dictam eſſe. Ita etiam in Charta ejuſdem rurſus Epiſcopi anni 1108. ibid. p. 144. In Charta *Godebaldi* Epiſcopi anni 1118. in qua Decano Majoris epiſcopalem præbendam conceſſit, teſtis eſt *Hermannus*

S. Boni-

S. Bonifacii Præpoſitus. Heuſſenius ei tribuit annos 1119. & 1131. Occurrit certè in Charta *Andreæ* Epiſcopi Anni 1131. quæ eſt in Hiſt. Epiſc. Daventr. pag. 160. col. 2. ubi eſt *Harmannus Præpoſitus de S. Bonifacio.* Quinimo Præpoſitus fuit Anno 1132. ut eſt in Charta fundationis Cœnobii Staurienſis, quondam in Friſia. V. Matth. Analect. tom. 6. p. 74. Addendus præterea eſt annus 1134. quem præfert Charta *Andreæ* Epiſcopi confirmantis fundationem Abbatiæ Bernenſis Ordinis Præmonſtratenſis quæ eſt in Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 257. 258.

Drakenburg. interſerit *Adelbardum* Præpoſitum ad an 1135. ex vitioſa citatione Heuſſenii. Sic fit, cum alienis credimus oculis.

IX. Themo, Theimo, Emo Præpoſitus. Ita diver- An.
ſimode ſcribitur. Heuſſ. ei attribuit annos 1138. & 1146. 1138.
Habeo *Themonem* in Charta Andreæ Epiſcopi anni 1139. a- 1139.
pud Buchel. ad Hedam. p. 160. Et rurſus *Themonem Præ-* 1140.
poſitum de S. Bonifacio ad annum 1143. in Charta ex archivo 1145.
Egmondano apud Matth. Analect. tom. 5. p. 529. In Charta *Conradi* III. Rom. Regis, in qua Capitulis Majoris & S. Salvatoris conceſſit privilegium eligendi Epiſcopum Ultrajectinum, excluſo populo & reliquo Clero, quæ eſt anni 1145. lego *Emonem Præpoſitum* S. *Bonifacii* apud Hedam in *Heriberto* pag. 165. Donec annum obitus ejus doceamur, addo diem ex Necrolog S. Salvatoris apud Matth. Fund. & Fata p. 102. *IV. Kal.* (Novembr.) *obiit Theimo Præpoſitus noſter.*

X. Jordanus Præpoſitus, Heuſſenio incognitus. Occur- An.
rit in Charta *Godefridi* Epiſcopi de Anno 1164. Apud Matth. 1164.
in notis ad Anonym. de Reb. Ultraj. p. 99.

XI. Lambertus Præpoſitus. Et hic in Heuſſenii Ca- An.
talogo omiſſus eſt, ſed Henricus van Ryn tom. 2. p. 51. 1169.
eum habet ad annum 1165. ſed ſine auctore. Pro me facit 1170.
Charta *Godefridi* Epiſcopi Anni 1109. apud Matth. in notis ad Anonym. de Rebus Ultraj. p. 100. Et alia ejuſdem a vetuſtate conſumpta, ſed data circa annum 1170. inquit Buchel. ad Hedam. p. 174. v. pag. 176.

Heuſſenius in Catalogo poſt *Themonem* collocavit hos Præpoſitos quatuor, adjectis annis quos non audeo dicere a ſe fuiſſe excogitatos, ſed ubi illos invenerit, non docuit.

Goſuinus. Præpoſitus 1176.
Beſcelinus. 1178.
Bertoldus.
Giſelinus Præpoſitus anno 1185.

Tantum numerum Præpoſitorum pro exiguo adeo tempore non gravate admitterem, ſi ille doceret, id ita fuiſſe, & eſſe credendum. Nam quæ jactat Eccleſiarum monumenta, quis quæſo illa a ſe inſpecta fuiſſe in animum inducet, qui animadverterit, non niſi *quatuor* Decanos S. Salvatoris ab iſtoc homine adductos, dum infra patebit fuiſſe pluſquam viginti? Pro quatuor illis Præpoſitis, unum adfero cui omnes illi anni ab Heuſſenio notati ſine dubio tribuendi ſunt. Et is eſt.

An. 1176. 1178. 1185. XII. Gocelinus, cujus nomen mutari potuiſſe in *Giſelinum*, *Boſcelinum*, & *Goſuinum* ſatis capio. Nam & apud me eſt *Gozelinus* & *Bocelinus* ſed quid de *Bertoldo*? De illo viderit ipſe. Anno 1176. *Gocelinus* ſubſcripſit inſigni Chartæ ſuper prædiis quibuſdam ad poſſeſſionem Capituli S. Joannis ſpectantibus, quæ eſt apud Matth. de Jur. Glad. p. 360. & eodem anno alteri Chartæ *Balduini de Hollandia* Præpoſiti B. Mariæ, donantis Eccleſiæ ſuæ decimam majorem & minorem in *Otterlo* pro celebrando anniverſario die obitus fratris ſui *Franconis* Sacerdotis, & ſui ipſius. V. Matthæi notas ad Anonym. de Reb. Ultraj. p. 103. Utrobique eſt idem Præpoſitus, & tamen nomen diverſum: in prima *Goçelinus*, in altera Charta *Bocelinus Sancti Bonifacii Præpoſitus.* Anno 1178. teſtis fuit donationis caſtri de *Horſt* a *Godefrido Renenſi* Epiſcopo facta, in ſupra citatis notis p. 114. ubi: *Gocelinus Præpoſitus Sancti Salvatoris.* Hanc Chartam deſcripſit Heuſſenius in Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 264. nullâ habitâ Antonio Matthæo gratia, nec corrigens errorem notæ chronicæ, dum huic Chartæ adſcribit annum 1188. quo anno *Godefridus Renenſis* ante decennium e vivis exceſſerat, uti obſervavit Matthæus. Anno 1185. teſtis fuit alterius donationis quorumdam mancipiorum, virorum ac mulierum, cum liberis eorum. factæ Eccleſiæ S. Joannis. Charta eſt edita a Matth. de Nobil. p. 953. in qua vocatur Præpoſitus noſter *Gozelinus.*

Pa-

Patet, opinor, annos 1176. 1178. & 1185. ab Heuſſenio tribus diverſis, ut putavit, Præpoſitis adſcriptos, uni tribuendos eſſe *Gocelino*. Propendet in hanc meam ſententiam Drakenburgius: ſed videtur numero ſtuduiſſe & pluralitati Præpoſitorum, ideoque *Bertoldum* quamtumvis ignotum retinuit, & ex tribus reliquis duos faciens, faſſus eſt, videri non niſi unus eſſe. Quare igitur duos poſuit?

Annum obitus non inveni. Diem habe ex Necrologio Daventrienſi, ad VIII. Idus Octobris. *Obiit Gozelinus præpoſitus S. Salvatoris Trajectenſis, qui dedit eccleſiæ noſtræ IX. lib.* &c. Vide Dumbar Daventr. Sac. & Prof. tomo I. pag. 360.

XIII. Otto ſubſcripſit anno 1200 Chartæ *Theodoricæ de Are* de diviſione bonorum & redituum inter Præpoſitum & Decanum B. Mariæ, quam exhibet A. Matth. in notis ad Anonym. de Reb. Ultraj. p. 133. Et Chartæ ejuſdem Epiſcopi de cœnobio Bethleemitico Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, quod olim in diœceſi Daventrienſi in ſuburbio oppidi Dotecomienſis fuit. V. Lindebornii hiſt. Epiſc. Daventr. p. 186. An. 1200.

De hoc Ottone occurrit præterea nihil. In Necrologio S. Salvatoris ita lego: *VI. Kal.* (Novembr.) *obiit Otto ſubdiaconus præpoſitus noſter.*

XIV. Walterus ſubſcripſit anno 1217. Ottonis II. Chartæ erectionis parochiæ de *Geyne*, quæ eſt apud Matth. de Nobil. p. 835. quam deſcripſit Heuſſenius in Bat. Sac. part. 2. p. 142. & quæ belgice exſtat in Fund. & Fat. p. 495. 496. De hoc Præpoſito ita habet in Catalogo: „ *Walterus* Dei permiſſione præpoſitus S. Salvatoris in Trajectino citatur in litteris ſtatutorum Collegii Salvat. pag. 20. „ Obiit anno 1220". Et fol. 7. „ Hic fecit teſtamentum & „ bona ſua & domum & terram ultra Rhenum prope civitatem dedit in ſubſidium terræ Sanctæ, ita quod ea vendita, „ quidquid ex ea haberi poterit tribus perſonis perſolvetur „ qui ſervient pro X. libris in terra Sancta. " In Necrolog. S. Salvatoris lego, *Walterum* Præpoſitum dotaſſe altare S. Petri V. diem XVIII. Kal. Majas apud A. Matth. Fund. & Fata p. 84. An. 1217.

XV. Ludovicus & *Lodewicus* & *Lothuicus* indubie Præpoſitus S. Salvatoris. Teſtis fuit in compoſitione coram *Otitone* An. 1226.

tone II. inita anno 1226. inter Capitulum S. Joannis & *Stephanum* militem de *Boſinchem* ſuper decimis novalibus paro-
1227. chiæ de *Boſinchem.* Item anno 1227. in Charta ejuſdem *Ottonis* pronuntiantis ſuper quæſtione mota inter Capitulum B. Mariæ & Comitem *de Goye*, ſuper decimis de *Haltem*, *Lurke*, *Weſterhem* & *Oſterhem* &c. quam dedit A. Matth. in notis ad Anonym. de Reb. Ultraj. p. 160. quæ Charta refert an-
1228. num 1228. apud Buchelium ad Hedam p. 203. ſed male, nam illo anno Eccleſiæ Ultrajectinæ præerat *Wilibrandus* Epiſcopus, uti patet ex Charta hujus, data *anno Dominicæ In-*
1228. *carnationis* 1228. *Pontificatus noſtri anno primo*, cui ſubſcripſit *Loduwicus S. Salvatoris præpoſitus*, quam dedit Matth. in not.
1230. cit. p. 163. Anno 1230 uti teſtis adhibitus fuit Chartæ ejuſdem *Wilbrandi* Epiſcopi confirmantis fundationem Monaſterii monialium Ordinis Ciſtercienſis in *Loſduynen* prope Hagam Comitis, ubi eſt *Lothuicus Sancti Salvatoris præpoſitus*, apud
1240. Matth. Analect. tom. 6. p. 22. 23. Anno 1240. adhibitus eſt teſtis in Charta donationis *Ottonis* III. electi Ultrajectini decimarum Capitulo Daventrienſi factæ, quæ exſtat in Hiſt. Epiſc. Daventr. p. 51.

Heuſſenius in Catalogo huic *Ludovico* eoſdem annos tribuit, & de illo ſcribit, quod *Otto* Epiſcopus ex Comitibus Hollandiæ hunc conſanguineum ſuum vocet anno 1240. Id ſane incompertum eſt mihi, ſi tamen verum. *Otto* ex Comitibus Hollandiæ, eſt *Otto* III. & in Charta jam jam citata anni 1240. *Ludovicus* (non S. Salvatoris, ſed Eccleſiæ Majoris, Præpoſitus) ab *Ottone* III. vocatur frater *Ottonis* Electi id eſt primi, qui hujus *Ottonis* III. avunculus fuit.

Non occurrit mihi hactenus quouſque vixerit *Ludovicus* præpoſitus, ſed non dubito illi adſcribere quod habet Necrologium S. Salvatoris: *IV. Idus* (Novembr.) *obiit* Lodewicus *præpoſitus noſter*, *qui dimiſit eccleſiam noſtram liberam de penſione* 30. *Solidorum*, *quam dare conſuevit eccleſia de decimis in* Gaſperde, *& hoc pro* * *circata*, *pro quo dantur hic X Solidi in* Reynaerſcoep.

In

* *Circata.* Cenſus qui ſolvitur Epiſcopo, aut Archidiacono, ab Eccleſiis pro viſitatione; ita dictus a circumeundo, quod Epiſcopi aut Archidiaconi diœceſes ſuas circumeundo viſitent.
Cir-

In append. Catal. Drakenburg. cruciat ſe auctor circa Chartam cit. ex hiſt. Epiſc. Daventr. quaſi *Ludovicus* noſter ibi Præpoſitus Majoris diceretur. Inepte. Conſulere debuit editionem latinam, & Henricum van Ryn jubere valere.

XVI. JACOBUS apud Heuſſenium in Catalogo, & ex illo Drakenb. An. 1243

XVII. HENRICUS e Comitibus Geldriæ, filius *Gerardi* & frater *Ottonis III.* Comitis, Præpoſitus S. Salvatoris apud Heuſſenium in Catalogo. Eodem anno VI. Idus Octobris denuntiatus eſt Epiſcopus Leodienſis, quam eccleſiam rexit annis duodecim nec ſacerdos, nec Epiſcopus, ſolo titulo electi. Fuit vitæ flagitioſiſſimæ, & cogente Gregorio X. dato annulo abdicavit anno 1274. exſtinctus anno 1281. 23 Aprilis apud Ruremundam ſepultus. Gall. Chriſt. nov. edit. tom. 3. col. 888. 889. An. 1247.

XVIII. THEODORICUS de *Wickenrode.* Heuſſenius paullo aliter, nempe *Theodorus D. G. dictus de Wyckerode, S. Salvat. in Trajecto præpoſitus & Archidiaconus tempore Ottonis epiſcopi an.* 1272. 1265. 1247. De annis attributis nihil occurrit mihi, ſed hi omnes demptis duobus, male conveniunt *Ottoni,* qui obiit juxta Bockenbergium anno 1249. Unde melius deceretur Præpoſitus fuiſſe temporibus *Henrici Viandenſis* & *Joannis Naſſovii.* Ut ut eſt, anno 1271. ſigillo ſuo roboravit ſententiam arbitralem inter *Joannem Naſſovium* Epiſcopum electum, & Prælatos atque Eccleſiam Ultrajectinam ſuper validitate teſtamenti *Henrici Viandenſis* latam, & editam a Matth. de Nobil. p. 270. ubi lego: *Theodoricum de Wickenrode Sancti Salvatoris præpoſitum.* An. 1271.

XIX. THEODORICUS DE ALTENA, de quo ita lego in Charta quam dedit A. Matth. de Nobil. p. 209. *Ego Hubertus de Boſinchem Pincerna Trajectenſis. Notum facio, quod contuli & reſignavi venerabili viro domino præpoſito & archidiacono eccleſiæ ſancti Salvatoris Trajectenſis Theodorico de Altena conſervatori præſentis liberam proprietatem manſi ſiti juxta foſſam epiſcopi* An. 1281.

Circaturam legis apud Hedam ex Chron. Affligenienſi in Wilhelmo I. p. 133. quam vocem Buchelius non male intellexit p. 135.

copi in ſuperiori parte jurisdictionis in loco dicto Bodelſtrate . . . . Datum M. CC. LXXXI. in tranſlatione B[ti]. Martini.

Heuſſenius hunc ſtatuit ad annum 1300, & ideo poſtponit *Theodorico de Horne*, qui ſequitur. Neutrum concipio. Et Drakenburgius hic dormitavit ac lapſus eſt, quod ſæpius contigit, ſi Heuſſenii ducatum ſequitur:

An. XX. Theodoricus *de* Horne de quo ex Chartulario illuſtriſſimæ familiæ *de Horne* apud Chriſt. Butkens Trophées de Brabant inter probationes tom. 1. pag. 132. novæ edit. hæc exſtat Charta: „ Univerſis præſentes litteras viſu-„ ris *Wilhelmus* Dominus de Horne & *Wilhelmus* primogeni-„ tus ejus, milites, & *Theodoricus* ejuſdem domini *Wilhelmi* „ filius, *præpoſitus eccleſiæ Trajectenſis inferioris* &c. promit-„ tunt ſervare indemnem *Joannem* Ducem Lotharingiæ, Bra-„ bantiæ, & Limburgi ſuper eo quod eorum fidejuſſor ex-„ ſtiterat erga Lombardos Aſtenſes. Datum Anno Domini „ M. CC. XCIII. feria quinta ante diviſionem Apoſtolorum ".

1293. Habes *Theodoricum* Præpoſitum anno 1293. Quod Præpoſitus fuerit non Majoris, ſed S. Salvatoris, vide in ſtemmate *Hornenſi* apud eumdem Butkens tom. 2. pag. 99. ubi etiam apparet fratrem fuiſſe *Engelberti* de Horne Præpoſiti Majoris in Duvelandia cæſi. Alia probatio habetur ex Necrologio S. Salvatoris ubi ita: *XIII. Kal.* (Apriles) *obiit Theodoricus de Hoerne Levita, Præpoſitus noſter. Dantur XXX Sol. a magiſtro fabricæ, ut ſupra Kal. Januar.* Poſtea factus eſt Præpoſitus Majoris, uti docui in catalogo Præpoſitorum Eccleſiæ Majoris.

Heuſſenius in Catalogo etiam *Engelbertum de Horne* facit Præpoſitum S. Salvatoris, & quidem annis 1306. 1310. qui occiſus fuit anno 1304. Neſcio qui factum ſit, ut Drakenburgius hunc imitari potuerit. Nihil hic examinaſſe videtur vir cetera diligens.

An. XXI. Philibertus *vel Philippus* de Almeloe Præ-
1311. poſitus S. Salvatoris Anno 1311. & 1317. Ita Heuſſen. in
1313. Catalogo. Occurrit ad an. 1313. in Charta confirmationis
1315. factæ auctoritate Apoſtolica ceſſionis ac permutationis omnium decimarum quas in Comitatu Zelandiæ poſſidebat Capitulum S. Petri, quæ transferuntur in *Guilielmum* Comitem Hollandiæ, Zelandiæ & Hannoniæ, mediante permutatione aliorum bonorum & decimarum in Hollandia, & ſub annuo cenſu

cenſu unius calicis argentei valoris decem librarum Turonenſium. V. novam collectionem Diplomatum Miræi cap. CXLVII. p. 429. Annus 1317. perperam ei datur, nam, ut mox conſtabit, *Joannes de Bronckhorſt* jam anno 1315. fuit Præpoſitus, uti eſt in Charta ſub dicto *Joanne* adferenda, quæ data eſt anno 1315. & in qua Præpoſitus noſter *Dominus Philippus de Almeloe b. m.* appellatur. Hic mihi adhæret Drakenburgius contra Heuſſenium. Quid ergo vult auctor append. catalog. Drakenburg. ſcribens *Philippum* Præpoſitum obiiſſe 14. Maji 1320?

XXII. Joannes *de* Bronckhorst. Eſt inſignis Charta apud Buchelium ad Hedam p. 234. quæ incipit & finitur his verbis: *Univerſis &c. Nos Johannes de Bronckhorſt D. Grat. Præpoſitus, Decanus & Capitulum Salv. Traj. Notum facimus.... Datum anno Domini M. CCC. quinto decimo, feria V. poſt Mar. Magdalen.* An. 1315.

Anno 1323. *Joannes* Præpoſitus unanimi voto electus eſt Epiſcopus poſt obitum *Jacobi de Outshorne*, ſed ad preces Ducis Brabantiæ, & Hollandiæ, ac Geldriæ Comitum, per Papam *Joannem* XXII. deſtitutus fuit, prælato ei *Johanne Dieſthenſi* Præpoſito Cameracenſi. V. Bekam in Joanne III. p. 113. Electus fuit altera vice poſt *Joannis Dieſthenſis* mortem, ſed non unanimi ſuffragio, verum contra *Joannem de Arckel*; ſed *Benedictus* Papa XII. ambobus amotis, ſedem Ultrajectinam contulit *Nicolao de Caputiis*. Ibid. p. 117. Hæc obvia ſunt apud omnes rerum Ultrajectenſium ſcriptores, & tamen Heuſſenius in Catalogo indiligenter & incurioſe ita ſcribit: *Eligitur quidem in epiſcopum defuncto Johanne de Dieſt, ſed non deſignatur.* Parce, lector, miſero. 1323.

Anno 1343. conquerente Abbate S. Pauli Ord. S. Bened. Ultraj. coram quinque Capitulis Ultrajectinis de *Joanne Arckelio* Epiſcopo, *Joannes* Præpoſitus cum aliis Prælatis Eccleſiarum definivit; *quod ſi quis conqueritur de epiſcopo Trajectenſi, de violentia, vel injuria ſibi per epiſcopum illata, vel juſtitia per epiſcopum denegata, & hoc capitulo & eccleſiæ conqueritur, epiſcopus vocatus venire tenebitur ad capitulum, & de his facere quod eccleſia decreverit, & ſi epiſcopus hoc recuſaverit contra eum procedet &c.* apud A. Matth. de Nobil. p. 615. 616. 1343.

Obiit *Joannes* Præpoſitus 25. Junii 1346. uti ex Necrologiis 1346.

giis S. Salvatoris & S. Petri. In priori ſic lego ad diem VII. Kal. Jul. *Anno* CIↃ. CCC. XLVI. *obiit Joannes de Bronckhorſt præpoſitus noſter* &c. Habuit in eccleſia S. Salvatoris capellam ſuo de nomine dictam, ſecundùm hunc titulum ab Heuſſenio exhibitum, in Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 535.

Capella D Joannis de Bronckhorſt Præpoſiti & Archidiaconi hujus Eccleſiæ S. Salvat. & in Epiſcop. Traject. Electi, qui obiit anno 1346. *VII. Kal. Jul.*

Heuſſenius Præpoſitis S. Salvatoris non tantum adnumerat *Gerardum de Amerongen*, qui talis numquam fuit, ſed quin etiam eum talem ſtatuit anno 1346. Tranſirent hæc cum ceteris erroribus, niſi illum anteponeret *Joanni de Bronckhorſt* quod ſatis mirari non poſſum. Docuit ipſe, hunc annum *Joanni* ſupremum fuiſſe. Quomodo ergo ante *Joannem Gerardus*? Non cohærent. *Gerardus* ille Canonicus fuit S. Salvatoris & Præpoſitus S. Severini Coloniæ, & in Necrologio S. Salvatoris Ultrajectenſis ejus memoria celebratur ſingulis menſibus, ejuſque obitus notatur his verbis: VII. Kal. Januar. *Anno* CIↃ. CCC. LXXVIII. *obiit Gerardus de Amerongben, præpoſitus S. Severini Colonienſis, noſter concanonicus.*

In Hiſt. Epiſc. Ultraj. pag. 535. docet Heuſſenius, quod præterea Præpoſitis S. Salvatoris adnumerandus ſit A. 1317. *Matthæus.* Non adnumerabo equidem. *Matthæus* fuit Decanus S. Salvatoris, & illo ipſo anno; quo eodem *Joannes de Bronckhorſt* dubio procul erat Præpoſitus. Legis tamen apud eum, quod Catalogum compoſuerit *ex eccleſiarum monumentis.* Aut Schedas habuit mucidas, laceras, falſas; aut ejus caligaverunt oculi. Mox documentum novum.

Drakenburgius etiam *Gerardum* adnumerat Præpoſitis; & commiſit eoſdem cum Heuſſenio errores circa *Petrum Rogerium* & *Wilhelmum van Zyl*, quos Catalogo ſuo inſeruit quamvis reperiſſet *Petrum Rogerium*, & *Petrum* Cardinalem *de bello forti* diſtinguendos non eſſe. Non capio conſilium.

An. 1348. XXIII. PETRUS ROGERII Sanctæ Mariæ novæ Diaconus Cardinalis, poſtea *Gregorius* P. P. XI. In appendice Giſberti Lappii ad Bekam vocatur *Petrus Rogenſis*, & ab Heuſſenio in Bat. Sac. part. 1. p. 198. *Petrus Rogenſis Belfortis.* In Chronico magn. Belg. novæ edit. p. 343. alias 315. *Petrus Regenſis.* Ubique male. Exſtat teſtamentum *Gregorii* XI.

in

in ſpicilegio Lucæ d'Achery tom. 3. nov. edit. in folio p. 738. in quo Pontifex teſtatur, ſe, cum in minoribus eſſet, ita appellatum prout ſcripſi.

Hoc pejus, imo ridiculum, quod Heuſſenius in Catalogo ſuo ex uno Præpoſito duos faciat. Sic enim ſcribit: „ *Petrus* „ *Rogerius* præpoſitus & archidiaconus S. Salv. anno 1348. „ 1351. 1357. *Petrus Cardin. de Belloforti* præpoſitus S. Salv. „ ac poſt anno 1374. Papa *Gregorius* XI. 1375 ". Cum de Cardinalibus agitur, non immerito conſulitur Ciacconius. Hic loquitur his verbis: „ Omnium ſuffragiis Romanus pon- „ tifex renuntiatus eſt *Petrus Rogerii* Monſtrius, oppido Mal- „ monte, Lemovicenſis agri in Galliæ provincia Toloſana, „ nobili genere ortus, *Petrus* comes *Bellifortis* antea dictus, „ ac Clementis VI. fratris filius, qui eum adhuc adoleſcen- „ tem vix 17. annum egreſſum, Diaconum Cardinalem „ Sanctæ Mariæ novæ creaverat &c. ". Proinde *Petrus Rogerii*, & *Petrus* Cardinalis *de Belloforti*, non diverſi ſunt, ſed unus eſt, & idem. Inſuper fuit Pontifex electus non anno 1374. ut Heuſſenius errat, ſed anno 1370. IV. Kal. Januar. 1370.
uti apud Ciacconium.

Oldoinus Ciacconium corrigit, contendens, *Petrum* fuiſſe nepotem *Clementis* ex ſorore. Sed huic reſiſtit Pagius in breviario tom. 4. in vita *Gregorii* XI. n. 2. & patet ex vitis apud Baluzium, quod nepos fuerit ex fratre.

Præter præpoſituram S. Salvatoris varia ſacerdotia ſeu beneficia habuit antequam ſummus Pontifex fieret, ex more nimirum illorum temporum, quibus multa conferebantur Cardinalibus ut ſupportare poſſent onera ſuarum dignitatum, inquit Baluzius col. 1061. ubi etiam ejus beneficia recenſet, multo plura quam Dacherius loc. ſup. cit. Ceterum laudatus multum Pontifex, obiit Romæ die 27. Martii 1378. at eum Præpoſitum S. Salvatoris fuiſſe probatur etiam ex Necrologio hujus eccleſiæ, atque ex verbis ad ejus Succeſſorem producendis.

XXIV. Ademarus *de* Rupe de quo ita legimus in Necrologio S. Salvatoris: *VI. non.* (Julias) *Anno* CIↃ. CCC. LXXXI. *obiit Ademarus de Rupe canonicus & præpoſitus noſter, filius Sororis Gregorii Papæ XI. quondam præpoſiti noſtri.* An. 1381.

Huic ſucceſſit Wilhelmus de Zyll. Decanus S. Petri anno 1380.

qui fuerat procurator hujus Adimari, inquit Heuſſenius in Catalogo. Unde hæc? Quomodo *Wilhelmus* anno 1380. fuerit Præpoſitus, ubi ex Necrologio intelligis, *Ademarum* anno 1381. fuiſſe Præpoſitum cùm moreretur? Necrologium S. Salvatoris habet *Wilhelmum* Decanum S. Petri, ut infra videbimus, *Wilhelmum* Præpoſitum S. Salvatoris non item.

An. 1381. XXV. Joannes *de* Flisco S. R. E. Cardinalis Epiſcopus Vercellenſis. Heuſſenius *Joannem* Cardinalem Vercellenſem nominat, & ſcribit Præpoſitum fuiſſe anno 1381. Nihil mihi compertum de ejus præpoſitura. De illo uti Cardinale videri poteſt Ciacconius tom. 3. p. 665. & de eodem uti Epiſcopo præclara multa in Italia Sacra Ughelli tom. 4. nov. edit. col. 804. inter quos non convenit ſatis de anno obitus, qui contigerit an. 1384. aut etiam ante. Drakenburgius etiam hunc adnumerat Præpoſitis S. Salvatoris, ſed Heuſſenium ſecutus. Ego utrumque deſererem, niſi in ſchedis J. F. Foppens notaretur Præpoſitus S. Salvatoris exeunte anno 1381.

An. XXVI. Henricus *van* Steenbergen nepos *Wilhelmi* Geldriæ, & Juliæ Ducis, Comitis Zutphaniæ, ſubſcripſit
1390. tabulis pacis anno 1390. concluſæ inter *Wilhelmum* & *Joannam* Duciſſam Brabantiæ, quam adfert Matth. ad Anonymi Chronicon Ducum Brabantiæ pag. 118. *Wilhelmus* Geldriæ
1394. Dux anno 1394. celebrem pronuntiavit ſententiam ſuper diffidiis quæ orta erant inter *Fredericum de Blanckenheim* Epiſcopum Ultrajectinum & Amersfortios. Inter illuſtres & magni nominis teſtes hujus pronuntiati, ſecundus legitur: *Her Henrich van Steenbergen Proiſt van Aldemunſter tot Utrecht.* V. Ant. Matth. in notis ad Rer. Amersf. Script. p. 228. & de Jur. Glad. p. 474. Heuſſenius hunc in Catalogo Præpoſitum facit ad an. 1382. 1385. In Necrologio S. Salvatoris ad VI. Kal.
1395. Auguſti ita lego: *Anno* CIↃ. CCC. XCV. *obiit Henricus de Steenberghen, nepos Ducis Gelriæ, præpoſitus noſter.*

An. XXVII. Alphardus *de* Lichtenberch van Lanscroon (*Drakenb.*) qui invenitur, inquit Heuſſenius in Catalogo, Præpoſitus fuiſſe circa annos 1398. 1399. 1400.
1400. De anno ultimo mihi conſtat, quando die 8. Novembris cum *Frederico de Blanckenheim*, & pluribus prælatis eccleſiarum Ultrajectinarum, *Henricus* Dominus *de Vianen* & *Heylwigis*

ejus

ejus uxor, Epiſcopo & eccleſiæ Ultrajectinæ ceſſerunt altam juriſdictionem oppidi & territorii de *Ameyda*. Chartam ceſſionis dedit A. Matth. in trac. de Nobil. in præfat. prolixa ad libros 3 & 4. pag. ſi bene numeres, 22. Obiit ex MS. Brockii, in menſe Auguſto 1416. *Drakenb.* 1416.

XXVIII. Wilhelmus Præpoſitus S. Salv. Dnus de Purmerende, & ſupremus Hollandiæ Theſaurarius, qui invenitur anno 1417. Heuſſenius in catalogo. Hæc ita exſcripſit Drakenburgius, alibi forte inventa. Cum nihil obſtet, periclitabor. In append. Drakenb. dicitur obiiſſe 2. Junii 1417. & appellatum quoque fuiſſe *Wilhelmum Eggert.* An. 1417. 1303.

XXIX. Petrus *vanden Steyne*, *Vanden Steene*, *& de Steyn*, anno 1423. Præpoſitus S. Salvatoris, uti patet ex Charta ejusdem anni per quam *Andreas Veer* Canonicus S. Salvatoris, tamquam Vicarius *Petri*, Dominium quoddam & Juriſdictionem ac bona in feudum concedit *Joanni* Borchgravio Montfortii, quæ eſt apud Matth. de Jur. Glad. p. 107. 108. Anno 1426. ipſe *Petrus* aliud dominium in feudum dedit *Joanni* decimo quarto & ultimo domino de Arckel ac domino Civitatis Mechlinienſis. Chartam protulit Matth. Analect. tom. 8. pag. 342. quæ incipit his verbis: *W*y Peter *Van den* Steene *bi der genaden Gods Proeſt t'Oudemunſter t'Utrecht doen kond ende kenlic allen luden, dat wy verleyet, ende verleent hebben, verleyen ende verleenen mits deſen tegenwoordigen brieve den Edelen Heren* Jan *van* Arkel *Heer tot* Pierlepont, *ende s'Lands van* Mechelen, *die Heerlickheyt van den lande van* Haeſtrecht, *gerecht, tinſe, ende tiende te lande ende te water, ende alle die manne, die daer van outs an der Heerlickheyt toe behooren* &c. Initium latinè ſic: *Nos* Petrus *Vanden Steene Dei gratia præpoſitus S. Salvatoris, notum facimus &c.* Hæc adduxi ad probandum, quem locutus ſum ſplendorem, & dignitatem Præpoſiti S. Salvatoris. Inter Canonicus Ultrajectenſes, qui *Suedero Culemburgico* electo adhæſerunt contra *Rudolphum Diepholdium*, cenſetur *D. Petrus de Steyn præpoſitus S. Salvatoris* apud Matth. Analect. tom. 9. p. 415. Heuſſenius ei tribuit annos 1422. & 1436. An. 1423. 1426.

XXX. Gisbertus *de* Brederode, qui ſimul Præpoſitus Majoris, & electus Epiſcopus Ultrajectinus, cujus adverſam fortunam tetigi inter Præpoſitos Majoris. Heuſſe-

nius hunc ſtatuit Præpoſitum anno 1453. Sed ante decennium uti Præpoſitus S. Salvatoris, dominia *Ratele* & *Dyckvelt* in feudum conceſſit, uti habet Charta anni 1443. Aprilis 22. quæ eſt apud Matth. de Jur. Glad. p. 108. incipiens his verbis alias belgicis: *Gysbertus Frater domini Brederodiæ, Vianæ; Dei gratia præpoſitus majoris & S. Salvatoris omnibus &c.*

Utramque præpoſituram, Majoris ſcilicet & S. Salvatoris Eccleſiarum habuit *Gisbertus*, cum eligeretur Epiſcopus anno
1455. 1455. Dubium eſt, an utramque retinuerit, cùm juri ſuo ad ſedem Ultrajectinam ceſſit, illudque tranſtulit in *Davidem Burgundum*, an vero præpoſituram S. Salvatoris *Wilhelmo Montfortio* abdicaverit: cujus rei examen in hunc locum rejecimus propter dubitantem hîc Buchelium ad Hedam p. 307.

Wilhelmus Heda pag. 292. rem narrat his verbis: „ Videns autem electus (*Gisbertus Brederodius*) paulatim eos, „ in quibus ſpem locaverat, a ſe deficere, utile duxit con„ cordandum cum Duce *Philippo* (Burgundo) agente adhuc „ Leydis . . . . *Conventum* eſt his conditionibus: „ Trajectani Ducem cum *Davide* & comitatu ſuo excipe„ rent cum ſyncera amicitia, qui cum magno plauſu populi „ intromiſſus. Electo ad Præpoſituram Majorem accederet „ præpoſitura Sancti Donatiani Brugenſis. Nam præpoſitu„ ram Sancti Salvatoris Trajectenſis abdicavit pro nobili „ *Wilhelmo de Montfort* ". Hæc perſpicua ſunt: nec minus ea, quæ tradit Joannes a Leydis de origine & rebus geſtis Brederodiorum apud A. Matth. Analect. tom. 2. p. 361. quæ, quia ſunt belgico ſermone concepta, his verbis redduntur. „ Pax coaluit hoc pacto, ut Dnus *Gysbertus de Bre„ derode* renuntiaret electioni de ſe factæ, & maneret præ„ poſitus majoris, uti ante fuit, *Sed præpoſituram Sancti Sal„ vatoris conceſſerat Wilhelmo Montfortio, qui eam teneret &c*". En verba auctoris: *Die pays is aldus gemaickt, dat Heer* Gysbrecht van Brederoden *ſoude wycken van ſyn elexi, ende hy ſoude voortaen blyven Domproiſt, als hy te voren was, mer die Proeſty van Oudemunſter hadde hy overgegeven* Willem van Montfoert, *ende die ſoude dat behouden.* In eamdem ſententiam concedit Bockenbergius in Hiſtoria & Genealogia Brederodiorum p. 38.

Con-

Contra Suffridus Petri in appendice ad Bekam pag. 160. conditiones pacis enarrans: „ Adhæc, *inquit*, idem *Gisber-* „ *tus* maneret deinceps Archidiaconus ac præpoſitus Tra- „ jecti, ad S. Salvatorem ut hactenus, & inſuper conſtitue- „ retur etiam præpoſitus Brugis ad S. Donatianum &c. “ Similia habent Chron. vulg. Holl. & Pontus Huterus Rer. Burg. lib. 4. Haræus in *Philippo Bono*, Chron. Magn. Belgii, & Meyerus Annal. Flandr. lib. 16. ad an. 1456.

Quos quidem auctores Wilhelmo Hedæ, & Joanni a Leydis poſtponendos, & omnino falli, exiſtimarem, atque in errorem inductos, quod *Gisbertum*, quia utramque præpoſituram habuit, utramque etiam retinuiſſe crediderint potius, quam ex certis documentis locuti ſint; & Suffridus Petri de una tantùm præpoſitura meminerit. Sed obſtat Charta ab Ant. Matthæo adducta, in qua Ordines Ultrajectini ſolemniter detulerunt *Davidi Burgundo* oppidum de *Wyck* cum caſtris de *Duerſtede* & *Abcoude*, ubi inter Ordines primus *Ghysbertus de Brederode Præpoſitus & Archidiaconus majoris & Sancti Salvatoris.* Acta ſunt hæc anno 1459. 7. Julii, id eſt quadriennio a ceſſione *Gisberti.* Vide Matth. de Nobil. pag. 896. In Inſtrumento ceſſionis & concordiæ quod dedit Matthæus in notis ad Rer. Amersfort. Scriptores pag. 308. neutrius præpoſituræ fit mentio.

Quia vero Wilhelmi Hedæ, & Joannis a Leydis veterum Scriptorum perſpicua ſententia eſt, veriſimile fit, *Gisbertum*, cùm eligeretur Epiſcopus anno 1455. præpoſituram. S. Salvatoris tranſtuliſſe in *Wilhelmum Montfortium*, eamque recepiſſe anno 1456. cùm ob potentiam *Philippi* Ducis Burgundiæ, epiſcopatum coactus ceſſit *Davidi*, filio notho: Poſtea vero, incertum quo anno, eamdem reddidiſſe *Wilhelmo*, quem Præpoſitum fuiſſe dubitari non poteſt ex jam jam dicendis. Ceterum 16. Septembris anni 1456. inſcripſit Præpoſitum Majoris, S. Donatiani Brugis, & S. Salvatoris Ultrajecti. Chartam habes apud A. Matth. in præfat. ad Anonym. de Rebus Ultraj. * * * * * 2.

Auctor Compendii chronologici epiſcoporum Brugenſium, præpoſitorum, decanorum &c. affirmat, *Gisbertum* die 22. Septembris 1456. electum fuiſſe Præpoſitum Brugenſem, & anno 1467. permutaſſe cum *Antonio Hanneron* pro præpoſitura S.

Servatii Trajecti ad Moſam. Vide d. comp. p. 76.

An. 1457. XXXI. WILHELMUS *de* MONTFOORT filius *Ludovici Montfortii*, fratris *Joannis* Burchgravii, ex *Beatrice Gaverena*, qui fratrem habuit Dominum *Joannem Montfortium*, equitem, Accoy & Hazerwoude Dominum. Ita Buchelius ad Hedam pag. 307. Juxta Brockium apud Drakenburg. poſſeſſionem
1461. adiit anno 1457. Anno 1461. die 21. Maji *Wilhelmus* Præpoſitus, teſtis adhibitus fuit inveſtituræ, quam *David Burgundus* conceſſit *Joanni* Burchgravio Montfortii, cujus Charta eſt apud Matth. de Jur. Glad. p. 152. 153. quæ abſolvitur his verbis in Latina tranſlatis: *Teſtes quorum nomina: Nobilis & honeſtus dilectus nobis cognatus, & fidelis Conſiliarius dominus Gisbertus de Brederode præpoſitus majoris noſtræ eccleſiæ Trajectenſis, & præpoſitus S. Donatiani Brugis &c. Dominus Joannes Proeys decanus majoris, dominus Wilhelmus de Montfort præpoſitus S. Salvatoris. &c.* Et ne ambigas lege verba belgica: *Hier waren over &c. met namen, die Edele ende Eerbare onſe lieve Neve ende getrouwen Raide Heeren* Gysbert van Brederode *Domprooſt onzer Kercke tot Utrecht, ende Prooſt tot St. Donaes tot Brugge &c. Heeren* Johan Proeys *Domdeken*; *Heeren* Willem van Montfoort *Prooſt tot Oudemunſter*, *Mr.* Willem van der Goude *Prooſt onſer Kercke tot S. Peter t'Utrecht &c. &c.* Ecce habes *Wilhelmum* Præpoſitum S. Salvatoris, & *Gisbertum* Præpoſitum Majoris dumtaxat. Anno
1480. 1480. *Wilhelmus* adhuc Præpoſitus, *Gisberto* jam mortuo, in actis Ultrajectinis apud Matth. de Jur. Glad. p. 464. Et
1483. anno 1483. apud Hedam p. 296. Demum anno 1494. in Charta quam dedit Henricus van Ryn tom. 2. pag. 256. edit: in folio.

An. 1496. Anno 1496 interfuit *Wilhelmus* comitiis Ultrajectinis in quibus *Fredericus* Marchio *de Baden* electus fuit Epiſcopus & Princeps Ultrajectinus, quorum Inſtrumentum dedit Matth. Analect. tom. 4. quem vide pag. 465. Exſtat *Wilhelmi* Præ-
1511. poſiti teſtamentum conditum die 8. Decembris 1511. apud Matth. Analect. tom. 3. p. 470. Ejus obitus notatur in Ne-
1514. crologio S. Salvatoris ad diem VII. Kal. Junias: *Anno* CIƆ. IƆ. XIV. *Obiit venerabilis ac nobilis dominus Wilhelmus de Montfoort Præpoſitus hujus eccleſiæ.*

An. 1514. XXXII. ADRIANUS, FLORENTII filius, cognomine

Boyens

Boyens, Ultrajectinus, poſtea Romanus Pontifex ADRIANUS VI. Varia ante pontificatum Sacerdotia habuit accurate ſatis collecta a Caſparo Burmanno in nuperis ſuis *Analectis hiſtoricis de Hadriano ſexto Trajectino Papa Romano*, ubi pag. 31. ita habet: „ Præterquam quod eſſet Decanus Lovanienſis, fuit quoque Antverpiæ ad D. Virginem Decanus, „ Ultrajecti ad S. Mariam Canonicus & Theſaurarius, ibidemque ad S. Salvatorem Præpoſitus, & in Eccleſia majori Canonicus. Val. Andr. Biblioth. Belg. & Revius „ Hiſt. Davent. lib. 2. p. 131. & juxta Brockium 16. „ Octobr. 1505. admiſſus eſt in eccleſia majori ad præbendam vacantem per mortem M. Jo. ter Molen, ex collatione Capituli, & 22 Decembr. anno 1508. ad Supplementum vacans per mortem Decani Veno, 8 Julii 1511. „ ad Capitulum. Et ut idem Brockius, qui in eccleſia „ majori Mſſ. adſervatur, habet, Præpoſitus S. Salvatoris „ admiſſus eſt 17. Junii anno 1519. ſuccedens Wilhelmo „ de Montfoort. Vid. Buchelium ad Hedam p. 307. & qui „ nuper edidit hiſtoriam Epiſcopatus Trajectenſis tom. 1. „ p. 196. in 8. Juxta acta Capituli S. Mariæ, Canonicus „ & Theſaurarius factus eſt anno 1511. 24. Martii, loco „ Bonifacii, ſive Facii Epiſcopi Ceſenatenſis, Cardinalis „ presbyteri S. Sabinæ. Canonicatum obtinuit ex collatione „ Capituli, Theſaurarius vero renuntiatus ab Epiſcopo „ Frederico Badenſi ".

Non habeo quod contradicam niſi unum illud; certo errare Brockium illum, qui ADRIANUM anno demum 1519. ad præpoſituram S. Salvatoris promotum eſſe ſcribat, & male nos remitti ad Buchelium, qui diſerte ſcribit id contigiſſe anno 1514. uti etiam Heuſſenius in Catalogo, & ejus interpres Henricus van Ryn in Hiſtoria Eccleſ. Fœd. Belg. vernacula tom. 2. pag. 48. Et adeſt luculentiſſima probatio apud Hedam pag. 320 & ſeqq. ubi adfert Chartam *Frederici Badenſis* de ſolemni viſitatione admirandarum reliquiarum eccleſiæ S. Joannis, facta in præſentia ejus Vicarii Generalis *Hermanni de Lochorſt*, & *Adriano de Trajecto Præpoſiti Salvatoris Trajectenſis*, aliorumque, quæ viſitatio contigit die 18 Junii anni 1515. 1515.

Valerius Andreas in Biblioth. Belg. in *Guilelmo Enckevortio* ſcribit,

ſcribit, *Adrianum* adhuc Cardinalem huic *Guilelmo* reſignaſſe præpoſituram S. Salvatoris, cui contradicit Burmannus in ſupra laudatis analectis pag. 42. & recte: cum adeo certum ſit, ADRIANUM Pontificem Præpoſitum fuiſſe, ut ea de re dubitare non liceat. Eumdem errorem commiſit Heuſſenius in Bat. Sac. part. 1. pag. 245. ubi Valerium Andream deſcripſit; nulla auctori habita gratia.

Quod *Adrianus* jam Pontifex factus, illam non ſtatim dimiſerit, patet ex *Brevi* reſponſorio ad gratulationes Capituli S. Salvatoris, quod attulit Burmannus p. 454. ubi præpoſituram vocat ſuam: *Maluiſſemus privatam in Præpoſitura noſtra vitam agere, quam uſque adeo ſupra humilitatem noſtram extolli.* Sed omnis probationis loco eſt Charta apud A. Matth. Fund. & Fata p. 72. ubi *Adrianus*, poſtquam jam Papa, non dedignatus eſt ſe ſcribere adhuc eccleſiæ ejus præpoſitum. En tibi verba: ADRIAEN *des heyligen ſtoels van Romen Paus die ſeſte, ende Prooſt t'Oudemünſter t'Utrecht, maken cont allen luyden, dat voor den Weerdigen Heer* Mr. Geryt van Zuggeroy *Canonick ende Theſaurier t'Oudemunſter voorſz. onſen Officiael ende Vicaris als onſen Stadthouder en allen ſaken van onſer Prooſtyen leengoeden, ende voor onſen Leenmannen hier na beſchreven, gecomen is Jan van Rede &c. Gegheven int jaer ons Heeren* CIↃ. IↃ. XXII. *den* 10. *dach van Decemb.* Eſt ſane res ſingularis, quare juverit Chartam illam de verbo ad verbum reddere: *Adrianus Sanctæ ſedis Romanæ Papa VI. & præpoſitus S. Salvatoris Trajectenſis, notum facimus omnibus quod coram reverendo Domino Mag. Gerardo van Zuggerode Canonico & Theſaurario S. Salvatoris prædictæ, noſtro Officiali & Vicario tamquam locum noſtrum tenenti in omnibus cauſis ſuper feuda noſtræ præpoſituræ, & coram paribus curiæ noſtræ infraſcriptis comparuit &c. Datum anno Domini* CIↃ. IↃ. XXII. *die* 10. *Decembr.* Ecce ADRIANUM Præpoſitum menſe Decembri anno 1522. id eſt, undecimo ab aſſumptione ſua ad ſummum Pontificatum menſe, utpote electum die nona Januarii ejuſdem anni juxta *Papebrochium in Propylæo Maji.* Unum illud dubitari poteſt; an vivus depoſuerit præpoſituram, uti notavit Burmannus. Obiit *Adrianus* Pontifex die 14. Septembr. 1583.

Et hæc quidem de ADRIANO PP. VI. Præpoſito S. Salvatoris Ultrajecti. Dixi *rem ſingularem* videri, quod ſe talem

lem ſcripſerit, aut ſaltem ſcribi paſſus ſit, Romanus Pontifex cùm eſſet. Habeo aliud argumentum rei ſingularis, inſolitæ, &, ut ego quidem autumo, perraræ. Non ſolent ſupremi Principes (eſt enim quæſtorum officium) apochas ſcribere ſubditis ſuis, aut acceptam alicui ſcripto facere pecuniam, id eſt (ut loquamur quod intelligas) *quitancias ſignare* manu propria. Fecit id Adrianus PP. VI. Et fecit popularibus ſuis Belgis. En tibi exemplum ex Codice ms. Abbatiæ Egmondanæ notato his verbis: *Feudalia Abbatie Egmondenſis ab A°.* 1510. *uſque* 1531. aſſervato in Collegio Hollandico Lovanii, in quo pag. xxx. rectâ lego quæ ſequuntur:

Copia quitancie annui cenſus 4. *ſolidorum Pape ſoluti &* 3. *partis emolumentorum indulgentiarum die jovis Sancta obvenientium.*

A. P P. VI.

„ Fatemur nos recepiſſe ſeu recipi juſſiſſe ex manibus *E-*
„ *gidii Petri* familiaris continui commenſalis noſtri ſummam
„ Nonaginta octo Ducatorum auri de Camera & duorum
„ Juliorum cum dimidio, quam *Meynardus Man* Abbas Eg-
„ mondenſis per banchum transmitti curavit Nobis ſeu Ca-
„ mere Apoſtolice noſtre exolvendam. Nonaginta quidem
„ quinque Ducatos & duos Julios cum dimidio in ſolutio-
„ nem tertie partis emolumentorum aliquot annis decurſis
„ collectorum ex certis indulgentiis olim conceſſis monaſterio
„ Egmondenſi pro die jovis Sancto per ſedem Apoſtolicam
„ reſervantem ſibi in ipſa conceſſione tertiam partem emo-
„ lumentorum quotannis inde proventurorum. Reliquos au-
„ tem tres Ducatos in ſolutionem certi cenſus annui videli-
„ cet quatuor groſſorum Freſingen. dicto monaſterio per pre-
„ fatam ſedem quondam impoſiti, & ab eodem in ſignum
„ vere ſubjectionis ac obedientie erga eamdem ſedem ſummo
„ pontifici pro tempore exiſtenti quotannis perſolvendi,
„ quem cenſum prefatus *Meynardus* Abbas pro annis Mille-
„ ſimo quingenteſimo xviij. xix. xx. xxj. xxij. xxiij. &
„ xxiiij. trium Ducatorum predictorum ſolutione redemiſſe

„ ſe aſſeruit. De quibus quidem Nonaginta octo Ducatis & „ duobus Juliis cum dimidio prefatum *Meynardum* Abbatem „ quatenus cônſcientia ſua eum quitat, pro annis pro quibus „ illos ſolvit quitamus & abſolvimus. Et in ſignum veritatis „ preſentem ſedulam aliena manu ſcriptam noſtra propria „ ſubſcripſimus in palatio noſtro apoſtolico die viceſima men„ ſis Julii Anno 1523. *Sic ſubſcriptum*: Ita fatemur & quitamus Ā.

Concord. *Henricus Alberti* not.

De *Meynardo Mannio* Abbate Egmondano trigeſimo ſexto ejuſque præclaris geſtis, videri poteſt Joannes a Leidis a Matthæo editus An. 1692. in Annal. Egmund. cap. 94. Ibi horum emolumentorum, & *annui cenſûs* nulla mentio. Fuit porro vetuſtiſſimus. En ejus originem ex verbis Joannis a Leidis cit. cap. 24. „ Anno Domini *milleſimo centeſimo trige*„ *ſimo octavo* Theodoricus Comes Hollandiæ nonus Hieroſo„ lymam proficiſcens ac anno ſequenti verſus Italiam rever„ tens domini Papæ præſentiam adiit, ubi ſub annuali tri„ buto *quatuor ſolidorum Friſingenſium* beato Petro tam Eg„ mondenſe monaſterium quam Reynsburgenſe obtulit cœ„ nobium, quod * ſui progenitores a fundamentis ſuperædi„ ficarunt, & regalibus prædiis multum honorifice dotave„ runt, dominus autem Papa Innocentius hujus nominis ſe„ cundus ex tunc eadem veneranda loca cum ſuis poſſeſſio„ nibus habitis & habendis in proprietatem Romanæ eccle„ ſiæ accepit, & ea ſub ſpeciali libertatis privilegio & „ exemptionis communivit per Bullam ſpecialem in hac for„ ma: INNOCENTIUS *epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto* „ *filio Waltero Hæcmundenſis monaſterii Abbati ejuſque ſucceſ*„ *ſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Nobilis vir* „ *Theodoricus Comes de Hollandt &c.* . . . . . *Egmundenſe Mo*„ *naſterium atque etiam Reynsburgenſe Beato Petro Apoſtolorum* „ *principi devotionis intuitu proprietario jure obtulit*, *atque con*„ *tradidit. Et nos igitur* . . . . *eadem venerabilia loca in pro*„ *prietatem atque protectionem S. Romanæ Eccleſiæ ſuſcepimus* „ . . . . *Ad indicium autem quod eadem monaſteria* *B. Pe-*

* Quæ *in Cod. Bockenbergii & in altero Friſico.* Ant. Matthæus.

„ *B. Petri juris exiſtant, ſingulis annis tam tu quam ſucceſſores*
„ *tui* QUATUOR SOLIDOS FRISINGENSIS MONETÆ
„ *nobis noſtriſque ſucceſſoribus cenſus nomine perſolvetis* . . . . .
„ *Ego* INNOCENTIUS *Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.*
„ *Ego Couradus Sabinenſis Epiſcopus ſubſcripſi. Ego* . . . .
„ *Data Lateranis per manum Americi Theodorici S. Romanæ*
„ *Eccleſiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii pridie Calendas*
„ *Martii, indictione tertia, incarnationis Dominicæ* anno mille-
„ ſimo centeſimo trigeſimo nono *Pontificatus vero Domini In-*
„ *nocentii Papæ ſecundi anno duodecimo.* " Imò: *Nono.* Nam Innocentius II. electus fuit anno milleſimo centeſimo trigeſimo. Eſt inſignis Bulla & tota legi meretur. Ecce quo nos abduxit ADRIANI PP. VI. præpoſitura S. Salvatoris, ejuſque apocha. Nondum in viam a qua digreſſi ſumus. Dum enim hæc ſcribo, obtulit mihi Clar. collega D. *Joannes Franciſcus Foppens* Archidiaconus Eccleſiæ noſtræ, epiſtolam unam ADRIANI Cardinalis, quam Caſparus Burmannus non vidit, & quæ eſt de re quam ignoravit. Illam hic appono. Enumerat Burmannus ſacerdotia quæ poſſedit ADRIANUS pag. 42. in not. Sed ibi non legas ADRIANUM habuiſſe Canonicatum & præbendam in Eccleſia Collegiata S. Petri Anderlechti juxta Bruxellas. Habuit ſane. In libro præbendarum Eccleſiæ Anderlechtenſis fol. 7. Vſo. ubi de bonis & poſſeſſoribus primæ præbendæ Gaesbecanæ * leguntur ſequentia: „ *Adrianus Florentii*, poſtea Papa, ſucceſſit *Petro*
„ *Zuweels* † per obitum, ſuamque præbendam reſignavit
„ duobus annis ante Pontificatum domeſtico ſuo *Petro de Ma-*
„ le. " Qui fuit quoque Canonicus S. Petri Lovanii, & S. Salvatoris Ultrajecti, nec non Perſona Eccleſiæ parochialis S. Pancratii loci de Craeijenhem juxta Bruxellas. Recenſetur a Valerio Andrea in Faſtis Academicis inter benefactores Collegii Pontificii N. 5. De quo ſequentia in Archivo Capituli Anderlechtenſis. *Anno* 1517. *Indictione V. die verò menſis Junii* 6. *Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri* LEONIS *Divina provideutia Papæ X. Anno ejus V. vigore litterarum Nobilis Domini Maximiliani de Hornes Domini temporalis territorii de*

* *Ita appellatæ quod eſſet juris patronatus Dynaſtæ Gaesbecani*
† *Obiit* 1. *Julii* 1515.

de Gaesbeke &c. admiſſus eſt per Venerabiles Dominos de Capitulo, capitulariter die capitulari in vigilia Sanctæ & individuæ Trinitatis congregatos, Venerabilis Dominns Petrus Helye pbr. Leodienſis Dioceſis, procurator, & eo nomine Domini Petri van den Male (*ut ex procuratorio in Capitulo conſignato patet*) *conſtitutus, ad Canonicatum & præbendam hujus Anderlechtenſis Eccleſiæ, per liberam reſignationem eorumdem.* Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini noſtri Magiſtri Adriani de Trajecto Epiſcopi Derſtruſenſis, *de eisdem noviſſime per obitum quondam Magiſtri Petri Zuweels proviſi, & per eumdem Reverendiſſimum Patrem prædictum ad manus præfati Domini Maximiliani factam, poſituſque eſt dictus Dominus Petrus licet abſens, per procuratorem tamquam præſens in eorumdem poſſeſſionem corporalem; realem & actualem, ſtalloque in Choro & loco in Capitulo per prædictos, cum juris plenitudine ſibi aſſignatis, factoque juramento, ſolvit jura in hujuſmodi conſueta, præſentibus ibidem Joanne de Cotthem, Arnoldo van der Eycken teſtibus ad hoc ſpecialiter vocatis, & me Henrico de Groninga Notario Capituli.* Has mihi notitias benigne ſuppeditavit admodum reverendus Dominus Dominicus Xaverius Foppens Canonicus & Cantor Anderlechtenſis. Hujus occaſione præbendæ, *Petro van Male*, aut *Van den Male* per ADRIANUM reſignatæ, ſcripſit is ad Capitulum Anderlechtenſe eam, quæ ſequitur, epiſtolam, ex autographo, in Capituli Archivo etiamnum conſervatam, fideliterque deſcriptam.

„ Spectabiles & perquam Venerandi Domini.

„ Ago inprimis Dignitatibus veſtris gratias non vulgares „ de benevolentia quam *Petro van Male* familiari meo exhi- „ buiſtis recipiendo illum ſine moleſtia in confratrem & con- „ Canonicum veſtrum, & receptionem prompte conceden- „ do: non (ut quidam indiſcreti facere ſolent) qui queſtus „ cauſa contra juris ordinem & charitatem confratribus mo- „ leſtias ac dilationes ingerunt. Reſtat nunc ut eandem be- „ nevolentiam continuantes, hanc illi gratiam faciatis, ut „ de fructibus præbendæ ſuæ in Eccleſia veſtra quamvis ab- „ ſenti mandetis reſponderi contemplatione ſervitiorum, quæ „ Sereniſſimo Regi Domino noſtro & mihi hic jugiter exhi-

„ bet,

„ bet, propter quæ merito fructibus beneficiorum ſuorum „ gaudere debet in abſentia. Qua in re Dignationes veſtræ „ mihi non minus, immo amplius gratificabunt, quàm ſi hoc „ beneficium in perſonam meam conferrent; mihique curæ „ erit, ut apud E. Dignationes veſtras & Eccleſiam veſtram „ ſuo tempore effectu gratiam referam. Nec vos ab hoc fa- „ ciendo retrahere debet, quod forte familiaris mei exemplo „ alii conſimilem gratiam petituri videantur. Exiſtimo enim „ neminem eſſe Confratrum veſtrorum in quo tam multa con- „ currant ad hanc gratiam faciendam inducentia, ut in præ- „ fato familiari meo: veluti prudentiis veſtris vel tacente me „ ſatis perſpicuum eſſe puto. Quibus me ex animo commen- „ do. Arandæ xij. Octobris a°. xvij°. *Erat ſignatum:* P. D. V. „ Amicus & fautor. A. Car. Dertusen. “ Superſcriptio erat: Spectabilibus ac Venerandis Dn̄is. D. Decano & Cap̄lo Eccliæ Collegiatæ b̄ti. Petri Āderlechten̄.

XXXIII. Guilelmus Enckevort S. R. E. Cardinalis & Epiſcopus Dertuſenſis in Hiſpania, ſucceſſit *Adriano* in præpoſitura, uti fatentur omnes, ſed an illi vivo, an mortuo, & quo anno, ignorant omnes, niſi quod in append. catal. Drakenb. notetur annus 1525. Fuit Canonicus Antverpienſis, ut habet Valer. Andr. & etiam Sylvæducenſis, uti habes apud Ciacconium. Quod poſtremum confirmat auctor recens, qui in lucem dedit *le grand theatre Sacré de Brabant*, ubi tom. 2. part. 2. p. 9. *Guilielmum* adnumerat Decanis eccleſiæ Collegiatæ, poſtea Cathedralis, S. Joannis Evangeliſtæ Sylvæducis. Fuit certe Præpoſitus Collegiatæ, nunc metropolitanæ & primitialis, eccleſiæ S. Rumoldi Mechliniæ. Et in antiquo Necrologio noſtro lego hæc: †. 18. *Julii* 1534. *deceſſit ab hoc ſeculo Reverendiſſ. in Chriſto Pater & Dominus* Guilielmus de Enckevoort, *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Derthuſanus, hujus Eccleſiæ, dum vixit, Præpoſitus. Qui donatione inter vivos reliquit* 24 *florenos Rhenenſes communes: ex quibus* 12. *floreni inter Canonicos reſidentes; & ſex inter Beneficiatos de numero LX.* &c. Præterea fundavit in municipio de Mierlo domum hoſpitalariam pro XII. pauperibus. Tabulas exhibet Miræus inter Diplomata tom. 1. pag. 471. Fuit *paſtor primitivus* (aut Rector, aut Commendatarius) in municipio Aſchano in Brabantia. Quem paſtoratum cum fructi- An. 1525.

bus & proventibus curavit Romæ apud *Clementem* VII. PP. dein apud *Paulum* III. PP. anno 1534. perpetuò uniri & incorporari Collegio *Adriani* VI. PP. Lovanii fundato. V. Bullam *Pauli* III. PP. apud Miræum cit. tom. 3. pag. 639. Exſtat elogium ejus a *Carolo* V. Imp. ſcriptum in literis, quibus *Godefredus ab Enckevoort*, Eques auratus, Sacri Lateranenſis Palatii, Conſiſtoriique, & aulæ Imperialis Comes Palatinus creatur, ubi Imperator ſic: *Accedente etiam conſideratione Rev. Dni. Cardinalis Dertuſenſis, cujus ſummæ virtutes & merita Nos ſibi adeo devinxerunt, ut vel totam ejus familiam munificentia noſtra dignam ſentiamus.* Ita notat Lappius ad Hortenſium fol. ult. Vide quoque Wichmans in Brabantia Mariana, & van Geſtel in Hiſt. Archiep. Mechl. *Guilielmus* a Clemente VII. Epiſcopus Ultrajectinus creatus, obiit juxta Valerium Andream anno 1534. die 19. Julii. Ejus epitaphium habet Ciacconius.

De ejus patria variant Auctores, ſed e *Mierlo* Brabantiæ municipio ortum veriſimilius apparet. Teſtamenti ejus executor fuit *Petrus Vorſtius* Belga, Aquenſis in Italia Epiſcopus, & Nuncius Apoſtolicus apud *Carolum V.* Cæſarem anno 1537. Bruxellis agentem. Ita auctor additionum ad Miræi Donat. Belg. fol. 472. tom. 1. novæ edit. Recte quidem. *Petrus* ille erat frater *Joannis Vorſtii* Decani Majoris Eccleſiæ, & ipſe Præpoſitus Cameracenſis. V. ſup. Plura de *Guilielmo Enckevortio* congeſſit *Caſpar Burmannus* in Analect. de *Hadriano VI.* pag. 44.

An. XXXIV. Michael Enckevort, alias *Lombaerts*, nepos ex ſorore *Guilielmi* Cardinalis, a quo præpoſituram habuit, juxta Heuſſenium in Catalogo, qui tamen id fruſtra probare conatur ex epitaphio *Michaelis*, quod ex illo ſubjicimus hîc. Intervenit anno 1528. famoſæ ceſſioni ditionis Ul-
1528 trajectinæ in *Carolum* Cæſarem tranſlatæ, cujus tabulas vide ſup. inter Tractatus, Inſtrumento XIII. Fuit Decanus Sylvæducenſis capituli, ex reſignatione *Guilielmi* avunculi, uti ſcribit Auguſtinus Wichmans in Brabantiæ Marianæ lib. 2. p. 371. qui *Michaelem* aſſerit *Guilielmi* Cardinalis ex ſorore fuiſſe nepotem. Fuit præterea Canonicus eccleſiæ Cathedralis Leodienſis, & Archidiaconus per Campiniam. *Le grand theat. ſac. de Brab. ſup. cit. p.* 10. Habuit in medio templi S. Salvatoris

vatoris epitaphium, quod a Lappio mutuatum exſcripſit Heuſſenius.

Præſtantiſſimo, miraque erga egenos munificentia prædito, D. Michaëli ab Enckevoort, totius Campiniæ hujusq. Fani antiqui Præpoſito, & Archidiacono laudatiſſimo, Reverendiſſimi Guilielmi ab Enckevoort SS. Joannis & Pauli Cardinalis, hujuſque veteris Trajecti Epiſcopi, cognato. Hæredes amicique memoriæ ergo PP. Exceſſit anno 1556. *Kal. Maji. Leodii in æde S. Lamberti ſepultus. Tu quæſo viator piis ejus manibus regnum præcare æternum.*

Addit Lappius: *Utriusque Enckefortii imago in vitreis feneſtris ad S. Joannem in choro cernitur, qui circa id tempus exſtructus eſt, adjutante* R D. Johanne Ingenwinckel *iſtius Divi Joannis, divi Lebuini Daventrienſis, nec non Xantenſis, Eccleſiarum Præpoſito, viro in Romana Curia gratioſo.*

Moleſtum eſt offendere apud viros eruditos has locutiones: *Divus Joannes, Divus Lebuinus*, & quod vulgo dicitur: *Diva Virgo.* Monuit Bellarminus, non aliam appellativam vocem adhibendam, quàm *Sanctus*, vel *Beatus.* Adeoque Dei genitrix & Virgo *Maria*, appellanda eſt *Sanctiſſima* vel *Beatiſſima*, quod ſuper omnes Sanctos & Beatos elevata ſit, non *Diva.* Quid igitur de Lipſio, inquies, qui ſcripſit *Divam Virginem Hallenſem*, & *Divam Virginem Sichemienſem* ſive *Aſpricollenſem.* In ſermone de rebus ſacris ille magiſter noſter non ſit. Declarat Bellarminus in *Recogn. Libror. de Verbo Dei.* § 1. ſe numquam probaſſe vocem, *Divus* vel *Diva* cùm de Sanctis agitur, *tum quod eam vocem apud latinos veteres Patres non inveniat, tum quod apud Ethnicos* Divi *nomen Diis tantum tribui ſoleat.*

XXXV. Joannes Goch ab Heuſſenio omiſſus in catalogo, ſed pro tali habitus in decurſu hiſtoriæ epiſcopatus Ultrajectenſis pag. 388. col. 2. ubi ait: *In archivis meis reperio epiſtolam ab Antonio Perrenotto tum Atrebatenſi epiſcopo, ad* Joannem Goch *S. Salvatoris Ultrajecti præpoſitum &c. qua eum* (Joannem Isbrandi) *ad curam S. Hippolyti* (in oppido Delphenſi) *commendat.* Subjicit deinde epiſtolam quæ præfert diem 15. Februar. 1551. Drakenburgius hujus non fecit mentionem. 1551.

XXXVI. Robertus *de* Bergis, *Antonii* Marchionis Bergæ ad Somam, & *Jacobæ de Croy* filius. Gallia Chriſt. An.

tom.

tom. 3. p. 909. nov. edit. Heuſſenius ait, hunc fuiſſe Præpoſitum anno 1550. ut & anno 1562. Expungendus igitur eſt è Præpoſitorum numero *Joannes Goch*, aut error ineſt diei & anno ſcriptis in epiſtola *Perrenotti*. Ipſe viderit.

Roberti Præpoſiti mentionem facit Pierius Winſemius rerum Friſicar. lib. 1. p. 21. edit in folio, ubi agens de *Georgii Egmondani* Epiſcopi Ultrajectini diplomate anni 1557. quo *Wilhelmum Lindanum* titulo Vicarii per Friſiam miſerat, ait, *Robertum de Bergis epiſcopum Leodienſem, ac præpoſitum Sancti Salvatoris Trajectenſis, una cum Jacobo Utenengio Decano S. Petri* (illud) *poſt approbaviſſe.* Fuit quoque Præpoſitus S. Petri Caſletenſis. V. Sanderi Flandr. illuſtr. tom. 3. pag. 66. nov. edit. Factus eſt Epiſcopus Leodienſis ex coadjutore *Georgii de Auſtria*, conſecratus 12. Decembris 1557. Abdicavit anno 1564. & obiit anno ſequenti 26. Januarii. Gallia Chriſt. ſup.

An. 1566. XXXVII. Hermannus Comes *Renneburgius*, Dominus Zulæ & Oldenhoren, ac Weſtbrouck. Heuſſen. in catalogo. In append. catal. Drakenb. dicitur ad præpoſituram admiſſus 9. Aprilis 1566. Et in hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 299. col. 1. citat libellum viſitationis per *Hermannum Rennebergum* S. Salvatoris Præpoſitum in oppido Gaudano inſtitutæ anno
1567. 1567. Poſt *Frederici Schenkii* Archiepiſcopi Ultrajectini mortem, quæ contigit anno 1580. a Rege nominatus ad ſedem Ultrajectinam, nunquam conſecratus fuit. Anno 1581. ſupererat *Hermannus* Præpoſitus & Archidiaconus S. Salvatoris, ut patet ex epiſtola prætoris & ſcabinorum pagi de *Nichtevecht* ditionis Ultrajectinæ, quam attulit Heuſſen. in cit. hiſt. p. 206. col. 1. Et p. 180. col. 1. ex *Gysberti Lappii* Adverſariis notat, *Hermannum*, quoque Præpoſitum fuiſſe eccleſiæ Cathedralis S. Lamberti Leodii, ubi etiam tumulatus ſit, defunctus 28. Januarii 1585. Sed in *Gallia Chriſt.* nullus ei locus inter Præpoſitos Leodienſes eſt datus, & recte: fuit enim canonicus S. Lamberti, ſed Præpoſitus eccleſiæ Collegiatæ S. Crucis Leodii, nec non S. Walburgis Zutphaniæ.

XXXVIII. Jacobus Pamelius, e nobili Baronum Pamelienſium genere natus Brugis, patre *Adolpho*, *Carolo* V. Imperatori a ſanctioribus conſiliis, a *Philippo* II. Rege Catholico præpoſitura S. Salvatoris donatus. Fuit primo canonicus

nonicus S. Donatiani Brugis, dein Archidiaconus Audomarenſis, & nominatus Epiſcopus anno, 1587. ſed cùm Bruxellas proficiſci cogitaret, Montibus Hannoniæ necdum confirmatus, è vivis exceſſit eodem anno, ſepultus in templo S. Waldetrudis retro chorum. Val. Andr. Gallia Chriſt. Arnold. Raiſſius in Belg. Chriſt. Subjicio ejus epitaphium ex Gallia Chriſtiana, nonnihil diverſum ab eo quod adfert Raiſſius:

D E O. O P T. M A X.

Nobili viro Jacobo (1) *Pamelio præsbytero, Summo Theologo, D. Salvatoris Ultrajectenſis* (2) *præpoſito, eccleſiæ Audomaropolitanæ Archidiacono, ejusdem eccleſiæ nominato epiſcopo, multis in* (3) *Cyprianum, aliosque Scriptores monumentis editis clariſſimo, intempeſtiva eheu morte abrepto, fratres Mæſtiſſ. P. P. Natus eſt anno* 1536. *mortuus eſt anno* 1587. 13 *Cal. Octobris.* Cujus laudes oratione funebri proſequutus eſt *Guilielmus Tabeomius* Archidiaconus Audomarenſis.

XXXIX. „ Petrus Damantius Mechlinienſis, J. U. „ Doctor, germanus frater admodum magnifici viri *D. Nicolai Damantii*, etiam J. U. Doctoris, Brabantiæ quon„ dam Cancellarii. . . . . Fuerat hic *Petrus* ante inveſtitu„ ram hujus Epiſcopatus, (*Gandavenſis*) ad Sanctum Sal„ vatorem Ultrajecti Præpoſitus, & Decanus hujus prima„ riæ Divi Bavonis ædis. (*Gandavi*) Ejus tale exſtat epi„ taphium. An.

D. O. M. S.

„ *Petrus Damant ex præpoſito Ultrajectenſi & hujus eccleſiæ* „ *Decano*, III. Gandavenſis epiſcopus hic ſitus eſt. Defun„ ctus anno Chriſti CIↃ. DC. IX. ætatis ſuæ LXXIX. ſeſſio„ nis vero XIX. Hoſpes abi, bene precare, & pro pio „ præſulis monito, Deum redama “.

Hæc ex Arnoldii Raiſſii Belgica Chriſtiana p. 34. Non arbi-

(1) Adolphi F. Franc. N. (2) Ultrajecti.
(3) Tertullianum. *Raiſſius.*

arbitror *Petrum* poſſediſſe Præpoſituram Ultrajectenſem S. Salvatoris, utpote quam non niſi poſt *Pamelium* conſequi potuit, quando mutata jam Ultrajecti Rep. tam Sacra, quam profana, non admittebantur proviſi a Rege Hiſpaniarum. Et infra doceberis ſub *Folcardo Montzima* Decano S. Salvatoris, quod Præpoſitura & Archidiaconatus vacaverint anno 1592. die 14 Julii.

Drakenburgius attulit *Florentium van Heremale* Hollandum, qui *Pamelio* ſucceſſerit die 19 Julii 1592. forte acatholicum. *Petrus* fuit canonicus S. Donatiani Brugis. *Comp. Chronol. Epiſcoporum Brugenſium pag.* 108.

Chriſtophorus Butkens Trophées Sacres & Profanes de Brabant tom. 2. p. 265. novæ edit., *Joannem Conradum Schets* filium Gaſparis, Domini de Grobbendonck, & Catharinæ d'Urſele, celebrat protonotarium, & Præpoſitum S. Salvatoris Ultrajecti. Sed hic mihi nullibi occurrit, & forte fuerit poſt tempora Catholica, de quibus non laboramus. Idem dicimus de *Florentio Heremale* & *Reinaldo Brederodio* Præpoſitis in Heuſſenii Catalogo: nec non de *Pompejo a Montzima*, quem Canonicum, theſaurarium, ac poſtea Præpoſitum S. Salvatoris fuiſſe, indicabat *Gysbertus Lappius* in epiſtola ad Joannem Bollandum data anno 1644. apud Heuſſenium in Bat. ſac. part. 1. p. 103. col. 1.

Compilator ponderoſorum voluminum, quibus titulus: *Le grand Theatre Sacré de Brabant*, & alii, Præpoſitis S. Salvatoris adnumerant *Godefridum Veuſels*, Scholaſticum Antverpienſem, & Conſiliarium eccleſiaſticum Senatus Mechlinienſis, ſed male: fuit enim Præpoſitus S. Servatii Trajecti ad Moſam.

DECANI ECCLESIÆ
S. SALVATORIS.

I. SIcco ſcribitur fuiſſe Decanus an. 1081. in Append. Catal. Drakenb. Edict. Ord. Ultraj. tom. 1. p. 753. col. 2. An. 1081.

II. Wychardus Decanus occurrit in Charta *Burchardi* Epiſcopi Ultrajectini, de conſecratione & dotatione Eccleſiæ SS. Petri & Walburgis Zutphaniæ, quæ ita finitur: „ Ad hujus „ autem rei teſtimonium confirmandum cedulam hanc ſi„ gilli noſtri impreſſione denotatam conſcribi juſſimus, aſtan„ tibus bonæ auctoritatis hominibus *Sigewino* cuſtode Majo„ ris Eccleſiæ in Colonia, *Wychardo Decano Sancti Salvato„ ris in Trajecto* &c. Hæc autem facta ſunt Anno M. C. V. „ ab incarnatione Domini, Indictione XIII. Anno autem „ Imperatoris Henrici quarti LI. " Chartam integram vide apud Lindebornium in Hiſt. Epiſc. Daventr. pag. 74. 75. in edit. Heuſſenii. An. 1105.

III. Raso occurrit in Charta *Godebaldi* Epiſcopi, qui Decano Majoris epiſcopalem præbendam conceſſit anno 1118. An. 1118. coram pluribus teſtibus inter alios, *Raſone S. Bonifacii Decano.* Chartam vide apud Buchelium ad Hedam p. 151. 152.

IV. Henricus in diplomate ejuſdem *Godebaldi*, qui anno 1126. *Eccleſiam ſui juris in Hollant quæ vocatur Tiezelineskerka B. Petro in Trajecto, ac fratribus in Eccleſia B. Petri Deoque Sanctoque Petro devotiſſime ſervientibus in perpetuum tradidit . . . . . præſentibus . . . . Henrico Decano de S. Bonifacio.* V. Buchel. ad Hedam. p. 155. 156. An. 1126.

De hoc *Henrico* intelligendum videtur quod habet Necrologium S. Salvotoris Idibus Novembr. *obiit Henricus levita decanus noſter.* Alii enim *Henrici* Decani, aut cognominibus adjectis, aut Sacerdotalis caracteris diſtinctione notantur; videlicet H*enricus Poſch presbyter Decanus noſter. Henricus Houberch*, qui ſeris temporibus Decanus fuit. Sed ad quem è tribus ſpectabit illud quod eſt in eodem Necrologio ad VIII.

 Idûs

Idûs Junii: *Feſtum corporis Chriſti duplex ſolemniter celebrabitur. Hoc inſtituit Henricus decanus noſter*? Malo id huic *Henrico* tribuere quam aliis, quod poſterioribus temporibus hoc feſtum ſolemniter celebraretur per omnes eccleſias.

An. 1130. V. Wichardus, adhibitus teſtis donationis bonorum de *Boſinchem* ab *Andrea* Epiſcopo factæ Capitulo S. Joannis anno 1130. quæ Charta eſt apud Buchel. ad Hedam p. 161. ſed
1131. eadem præfert annum 1131. apud Matth. de Jur. Glad. p.360. & apud Heuſſenium in Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 568. qui dicit, ſe illam deſumpſiſſe ex eod. MS. Eccleſiæ S. Joannis, & putavit ineditam cùm illam dedit: Neglexit nempe Buchelium conſulere. In traditione parochiæ *Uiſen*, qui eſt Comitatus Berthemienſis pagus, quam idem *Andreas* Epiſcopus eodem anno dedit Capitulo S. Petri, teſtis eſt, *Wichardus Decanus de S. Bonifacio.* Uti etiam in Charta fundationis cœ-
1132. nobii Staurienſis in Friſia, quæ de anno 1132. eſt apud Matth. Analect. tom. 6. p. 75. quam ex hoc loco deſcripſit Heuſſen. in Hiſt. Epiſc. Leovardiens. p. 64.

An. VI. Lubbertus Decanus fuiſſe annis 1134. 1139. ſcri-
1134. bitur in Append. Catal. Drakenb.
1139. VII. Hermannus Decanus teſtis in Charta *Hermanni*
An. 1115. *Hornii* Epiſcopi Ultrajectini, quæ eſt anni 1155. apud Matth. de Jur. Glad. p. 119. 120. Eſt alia Charta *Godefridi* Epiſcopi apud Matth. de Nobil. p. 458. in qua teſtis eſt, *de Eccleſia S. Salvatoris*, *Hermannus Decanus*, ſed ibi eſt error in numeris, cum ſcribitur eſſe anni 1161. & pag. 459. anni
1156. 1156. quem huic Chartæ inhæſitanter adſcribit in alio loco nempe ibid. p. 542. Dubitationem etiam injicit Charta ejuſdem rurſus *Godefridi*, quæ eſt in notis ad Anonym. de Rebus Ultraj. p. 99. in qua *Hermannus* teſtis fuiſſe ſcribitur anno 1164. Sed videbitur ibi agi de alio *Hermanno* qui ſequitur.

An. VIII. Lambertus Decanus teſtis fuit anno 1163. in
1163. Charta Fundationis *Riquardi* Canonici S. Joannis, quam vide
1164. apud Matth. de Nobil. p. 542. quam inde deſumpſit, non citato Matthæo, Heuſſenius in Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 538. Ponitur Decanus fuiſſe etiam anno 1164. in Append. Catal. Drakenb.

An. IX. Hermannus Decanus ſubſcripſit anno 1164. Chartæ
1166. quæ eſt apud Matth. de Reb. Ultraj. p. 99. ſed eſt error in litte-

litttris numeralibus, & ſcribendum eſt ann. 1166. quia Charta data eſt anno X. *Godefridi Rhenenſis*, Epiſcopi Ultrajectini. Atque annus primus ejuſdem Epiſcopi erat an. 1156. ut eſt in Charta de Nobil. p. 459. proinde annus X. Epiſcopi, fuerit an. 1166. Ob hanc cauſam, dixi ſupra videri *Hermannum* hunc eſſe alium, ab illo qui prædeceſſor eſt *Lamberti*.

X. RUDOLPHUS Decanus S. Salvatoris legitur in Charta *Godefridi* Epiſcopi, donationis quorumdam bonorum Eccleſiæ S. Joannis, factæ anno 1169. quam primus dedit A. Matth. in notis ad Anonym. de Reb. Ultraj. p. 100. & in alia *Balduini de Hollandia*, Præpoſiti B. Mariæ, ejuſdem anni ibid. p. 102. 103. nec non in alia rurſus Charta *Godefridi* Epiſcopi, data circa annum 1170. ut Buchelius ad Hedam exiſtimat p. 174. 175. Anno 1178. teſtis fuit donationis caſtri de *Horſt* a *Godefrido Renenſi* factæ *Deo*, *&* *B. Martino*, id eſt Eccleſiæ Majori. V. Chartam in notis cit. p. 114. & conſule obſervationem ſup. in *Gocelino* Præpoſito S. Salvatoris. Huic reor adſcribendum quod lego in Necrologio S. Salvatoris: *VI. Idûs* (April.) *obiit Rodolfus* presbyter decanus noſter. An. 1169. 1170. 1178.

XI. WOLFRAMUS & *Wolframmus*, *Walframmus*, *Wulframus*, Decanus S. Salvatoris, occurrit in Charta *Giſelberti* militis *de Amſtele* Anni 1224. quæ eſt apud Matth. Analect. tom. 6. p. 56. In Charta *Ottonis* Anni 1225. eſt *Wolframmus* apud Matth. de Jur. Glad. p. 425. Et in ejuſdem Epiſcopi Chartis de annis 1226. & 1227. de decimis in *Halten* & *Boſinchem*, eſt *Wulframmus* Decanus Sancti Salvatoris apud Matth. in not. ad Anonym. de Reb. Ultraj. p. 160. 161. in quarum priore de decimis in *Halten* eſt error in numeris apud Matth. de Nobil. p. 798. ubi præfert annum 1220. apud Buchelium ad Hedam pag. 203. præfert annum, 1228. qui magis accedit ad *Ottonis* II. annum undecimum. Anno 1235. *Wolframmus* adhibitus eſt teſtis donationis ab Ottone III. Factæ *fratribus domus teutonicæ in Trajecto*, cujus Charta eſt in A. Matth. Analect. tom. 10. p. 375. Item in Charta ejuſdem, anni 1240. inſignis donationis Capitulo Daventrienſi factæ, quæ eſt in Hiſt. Epiſc. Davent. p. 31. ubi eſt *Walframus*. Denique in ſententia Ottonis III. inter Abbatem S. Pauli, & Decanum S. Joannis, ſuper decima in *Utwick* quæ eſt an- An. 1124. 1225. 1226. 1227. 1228. 1235. 1240.

1247. ni 1247. eſt *Wolframus* Decanus, apud Matth. de Nobil. p. 401. In Necrologio S. Salvatoris ita lego: *VI. Kal.* (Novembr.) *obiit Wolframmus presbyter Decanus noſter:* Drakenburgius pu-
1253. tat ſe Decanum hunc inveniſſe in Charta anni 1253. Apud Matth. Rer. Amersf. Script. p. 198. quia in ſubſcriptione dicitur adfuiſſe ſigillum *W. Decani* S. Salvatoris. Sed numquid majuſculam illam eodem jure interpretari poſſem *Wilhelmum* Decanum qui ſequitur?

An. XII. Wilhelmus Decanus, hanc dignitatem habuit anno nobis incomperto, cui tantiſper hunc locum aſſignamus, quod qui ſequuntur Decani, videantur ſucceſſiſſe unus alteri. Necrologium S. Salvatoris ita habet: *VI. Idus* (Novembr.) *obiit* Wilhelmus *presbyter Decanus noſter, pro quo dantur X. ſol. de quodam manſo in Vloeten.*

An. XIII. Henricus *Poſch*, filius *Rudolphi* (Matth. Fund.
1266. & Fat. p. 88.) & *Margaretæ* (ibid. p. 78.) Occurrit mihi ad
1271. annum 1266. in Charta *Henrici Viandenſis* Epiſcopi Ultraj. quam dedit *Gerardus Dumbar* Davent. ſac. & prof. tom. 1. p. 460. Anno 1271. electus fuit arbiter per compromiſſum *Joannis Naſſovii* Electi Ultrajectenſis ex una parte, & prælatorum ac quinque Capitulorum Ultrajectenſium, nec non Abbatis & Conventus monaſterii S. Pauli Ordinis S. Benedicti ejuſdem loci, ex altera, ſuper controverſia orta ratione teſtamenti *Henrici Viandenſis* quondam Epiſcopi Ultrajectini. V.
1282. Ant. Matth. de Nobil. p. 270. Occurrit ad annum 1282. in Charta dicti *Joannis Naſſovii* apud Matth. de Nobil. p. 1066.
1294. & ad annum 1294. in Charta *Joannis* II. ibid. p. 830.

In Necrologio S. Salvatoris ad IV. Idus Novembr. hæc le-
1305. go: *Anno* CIↃ. CCC. *quinto obiit* Henricus *dictus* Poſch *presbyter Decanus noſter. Dantur dominis ad vigilias X. ſol. ſociis vero ad vigilias V. ſol. ad miſſam V. ſol. ut ſup. Kal. Januar. & ſepulchrum viſitabitur.*

An. XIV. Johannes Visker Decanus, de quo Necrolo-
1307. gus ita habet ad XIV. Kal. Auguſti: *Ann.* CIↃ. CCC. *nono obiit*
1309. Johannes *dictus* Visker, *Levita*, *Decanus noſter.* Item ad prid. Non. Septembr. II. *Non. translatio S. Bonifacii. Hoc feſtum inſtituit Johannes Visker Decanus noſter.* Et in die commemorationis animarum dabantur ex ejus Fundatione diſtributiones in Choro, uti eſt ibid. ad d. 2. Novembr. In append.

pend. Catal. Drakenb. ſcribitur *Johannes de Viſſcher*, & Decanus anno 1307.

XV. Matthæus Decanus, de cujus geſtis rurſus nihil. Necrologium S. Salvatoris ad III. Idus Januar. ita habet: *Anno domini* CIↃ. CCC. XVII. Matthæus *hujus Eccleſiæ Decanus & presbyter de duodecim jugeribus in* Goye *&c.* Et ad diem X. Kal. Jul: *X. millium martyrum*; *duplex feſtum inſtituit* Matthæus *Decanus noſter celebrandum.* Ad diem VII. Kal. Auguſti: *Chriſtofori martyris. Hoc inſtituit* Matthæus *Decanus noſter.* An. 1313. 1315. 1317.

Perperam proinde *Matthæum* hunc Præpoſitum S. Salvatoris anno 1317. fuiſſe, ſcripſerunt Heuſſenius, & Henricus van Ryn. Sed Auctor append. Catalogi Drakenb. huic *Matthæo* & cognomen tribuit *Witen Leen*, & annos 1313. & 1315.

XVI. Egidius Pansier vel *Panſur* filius *Theodorici* militis, ut eſt in Necrol. S. Salvatoris, fuit Decanus anno 1318. ut eſt in Charta ejuſdem anni quam citat A. Matth. Analect. tom. 9. p. 178. Anno 1322. adhibitus fuit teſtis in ſolemni ſententia *Frederici* II. Epiſcopi inter Abbatem S. Laurentii in *Oeſtbroec* ordinis S. Benedicti, & Prioriſſam atque conventum Sanctimonialium in *Vrouwencloofter*, ejuſdem ordinis, ſuper ſubjectione, correctione, viſitatione, & pluribus aliis juribus, quas Abbas & Conventus in dictas Prioriſſam & Sanctimoniales ſe habere contendebant, quæ ſententia eſt apud Matth. Fund. & Fata eccl. p. 409. & ſeq. Et mortuo hoc eodem anno *Frederico Zyricio*, adfuit electioni *Jacobi de Outshoerne*, Decani Majoris in Epiſcopum Ultrajectinum, cujus electionis inſtrumentum dedit: Matth. Analect. tomo I. ubi pag. 192. hæc: *Ego* Egidius *dictus* Panſur *Decanus Eccleſiæ S. Salvatoris Trajectenſis*, *presbyter*, *nomino Dominum Jacobum de Autshoorne Decanum Majoris Eccleſiæ Trajectenſis presbyterum*, *& in ipſum conſentio eligendum in epiſcopum & paſtorem Eccleſiæ Trajectenſis.* Anno 1326. feria tertia poſt Dominicam qua cantatur: *Reminiſcere*, *Egidius Decanus totumque Capitulum Eccleſiæ S. Salvatoris Trajectenſis* emiſerunt ſtatutum circa ordinem & horam a Vicariis obſervandam, qua quiſque deberet celebrare & officio ſuo fungi. Statutum lege apud Matth. Fund. & Fata p. 70. & ſeqq. An. 1318. 1322. 1326.

Necro-

Necrologium S. Salvatoris ad prid. Non. Septembr. *Anno*
1330. *Domini* CIↃ. CCC. *triceſimo obiit* Egidius *dictus* Panſier *hujus Eccleſiæ Decanus.* Et: *Kal. Septembris. Duplex Inſtituit feſtum Egidius Decanus.* Et ad X. Kal. Novembr. *obiit Theodoricus Panſier miles, pater Domini Egidii Decani noſtri, ut ſupra in anniverſario dicti Egidii continetur.*

An. 1339. XVII. Rutgerus Utenweerde de quo hæc dumtaxat ex ſæpe citato Necrologio ad d. XVII. Kal. Junias: *Obiit* Rutger Utenweerde *presbyter, Decanus noſter, anno* CIↃ. CCC. XXXIX.

An. 1343. XVIII. Fredericus Ossekyn fuit anno 1343. Decanus S. Salvatoris, uti patet ex famoſa deciſione prælatorum Ultrajectenſium, quam attuli ſupra in *Joanne de Bronckhorſt* Præpoſito S. Salvatoris, ad hunc annum. V. Ant. Matth. de Nobil. p. 615. 616.

An. 1371. XIX. Gerardus Foeck Decanus anno 1371. ut patet ex actis ſede per obitum *Joannis Vernenburgii* vacante, quæ longa ſerie dedit A. Matth. Analect. tom. 9. ubi vide pag. 246. Necrologium S. Salvatoris ita habet: *VII. Idus* (Martii) Anno CIↃ. CCC. LXXXIII. *obiit* Gerardus Foec *quondam*
1383. *Decanus hujus Eccleſiæ Concanonicus noſter, qui nobis legavit & donavit multa bona, de quibus ſupra fit mentio.* Hinc erroris arguitur Heuſſenius, qui dicit *Gerardum, omnia bona ſua,* Canonicis reliquiſſe. Exſtat teſtamentum *Gerardi* Decani, e quo, ſi noſtra intereſſet, diſtingui poſſent bona Eccleſiæ S. Salvatoris relicta. Vide illud apud Matth. Analect. tom. 2. p. 544.

An. 1390. XX. Everardus Foeck Decanus anno 1390. inquit Heuſſenius: Aſſentior. *Gerardi ex ſorore nepos*, ita pergit. Quomodo ergo ejuſdem cum *Gerardo* cognominis? Anno 1390. III. Idus Julii adfuit viſitationi factæ per *Hubertum* Epiſcopum Yppuſenſem ſuffraganeum Ultrajectinum, admirandarum reliquiarum, utpote inter quas fuiſſent reliquiæ *de membris Abrahæ Patriarchæ, item de manna in ſepulchro S. Joannis Evangeliſtæ inventa.* Actam viſitationis dedit A. Matth.
1400. Fund. & Fata p. 64. Anno 1400. adfuit ſolemni traditioni altæ juriſdictionis caſtri, oppidi, & territorii de *Ameyda*, factæ Epiſcopo & Eccleſiæ Trajectenſi: Chartam V. apud
1406. Matth. de Nobil. in præf. ad libros 3. & 4. p. 22. Anno 1406. in

in Epiſcopi *Frederici de Blanckenheim* ſolemni cum ſeptem ſtolis juramento, ſuper jurisdictione alta & baſſa in *Hagelſteyn*, & alta jurisdictione in *Haeſtrecht*, & ipſe juravit. Charta eſt apud Matth. de Jur. Glad. p. 182. & ſeqq. Subſcripſit tabulis pacis inter jam dictum Epiſcopum & Amersfortenſes concluſæ anno 1409. quæ tabulæ ſunt belgicæ apud Matth. in 1409.
notis ad Anonym. Script. Rer. Amersfort. p. 232. ubi p. 235. eſt: *Mr. Evert. Faick Deecken van Oudemunſter.* Ceterum A. Matth. de Nobil. p. 348. 349. citat Chartam anni 1413. cui ſubſcripſit Decanus *Everardus Foec.*

De Decano noſtro ita habet Necrologium S. Salvatoris. *VIII. Kal.* (April.) *Annunciatio Mariæ. Ann.* CIↃ. CCCC. 1418.
XVIII. *obiit venerabilis vir, magiſter* Everardus Foec, *Decanus noſter.* Heuſſenius dicit inſignem eccleſiæ benefactorem fuiſſe. Necrologus hoc ſiluit; ſed patet ex ejus teſtamento quod eſt Analect. tom. 2. p. 552.

Valerius Andreas de Decano noſtro hæc in Biblioth. belgica: „ *Everardus Frieck*, J. C. Decanus ad S. Salvatorem „ Ultrajecti, ſcripſit ad inſtantiam *Gerardi Magni*: *Concluſio-* „ *nes, quibus vitam in communi degentium multis argumentis ap-* „ *probat & tuetur.* Vivebat Anno CIↃ. CCC. LXXX ". Hæc verba deſcripſit Heuſſenius in Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 125. non citato Valerio, veluti ſi deprompta fuiſſent e proprio penu. Ait Andreas, *Everardum* vixiſſe anno 1380. Id facile credo, ſed tunc nondum Decanus.

XXI. HENRICUS HOUBERCH Decanus anno 1425. in- An.
quit Heuſſenius in Catalogo. Imo anno 1421. quando die 17. 1421.
Aprilis invenit & extraxit reliquias ſive oſſa *S. Gregorii* Epiſcopi Trajectenſis a *S. Willibrordo* tertii, cujus inventionis acta ſunt apud A. Matth. Fund. & Fata p. 474. Occurrit etiam in teſtamento *Wilhelmi de Renen* Canonici Ultrajectini quod de anno
1422. eſt in Analect. tom. 2. p. 555. Anno 1423. vacante ſede 1422.
per obitum *Frederici de Blanckenheim* creatus fuit Officialis Ultra- 1423.
jectinus. Charta eſt apud Matth. Analect. tom. 9. p. 268. &
ſeqq. Anno 1425. menſis Maji die 25. adfuit ſolemni tran- 1425.
ſlationi *reliquiarum Sanctorum Martyrum ſociorum S Bonifacii Epiſcopi Trajectenſis & martyris, ipſius eccleſiæ patroni.* V. Matth.
Fund. & Fata p. 63. Anno 1427. menſis Januarii die tertia 1427.

 cum

cum prælatis & clero Ultrajectino aſſumpſit *Rudolphum Diepholdium* in tutorem ſeu *Mamburnum* patriæ Ultrajectinæ contra *Suederum Culemburgium* Electum. Inſtrumentum eſt in Matthæi Analect. tom. 9. p. 325. Eodem anno ſtatuit cum reliquo clero reſumenda eſſe divina officia non obſtante interdicto pontificio. Charta eſt apud eundem Matth. in not. ad ſcript. Rer. Amersfort. p. 272.

De Henrico ita habet Necrologium S. Salvatoris: *Anno*
1429. CIↃ. CCCC. *viceſimo nono menſis Julii die viceſima ſexta obiit venerabilis vir magiſter* Henricus Houberch *decretorum Doctor, Decanus hujus eccleſiæ.*

An. 1437. XXII. Walterus Grawert, vel *Grauwert*, recepit anno 1437, cum aliis prælatis eccleſiarum Ultrajectenſium juramentum *Gisberti Brederodii* hoc anno Præpoſiti Majoris. Tabulas dedit A. Matth. Analect. tom. 2. p. 501. &
1455. ſeqq. Anno 1455. interfuit electioni *Gisberti* in Epiſcopum, cujus Inſtrumentum habet ibid. a pag. 432. Eodem anno condidit teſtamentum in quo eſt fundatio capellaniæ SS. Martini & Antonii in Analect. tom. 3. a p. 391. Humatus eſt in eccleſia S. Salvatoris ſub hoc epitaphio quod Heuſſenius exhi-
1456. bet Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 60. *Anno* 1456. 2. *Septembr. obiit venerabilis & egregius vir dominus Wouters Grauwert hujus eccleſiæ Decanus, fundator & dotator iſtius altaris, cujus animæ propitietur Deus.* Concordat Necrologus S. Salvatoris, niſi quod in numeris ſit error. Ad diem 2 Septembris ita habet: *Anno*
* lege: CCCC. CIↃ. CCC. * LVI. *obiit venerabilis magiſter* Walterus Grawaert *Decanus hujus eccleſiæ.* Fuit quoque Canonicus *Geervlietenſis*, & ejus memoria ibidem celebratur 2. Octobr. ut eſt in Necrologio, quod dabimus in 2 part. 3ii. tomi Anal. noſtror.

An. 1456. XXIII. Theodoricus Grawaert Jurium Licentiatus inquit Heuſſ. Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 536. ſucceſſit *Waltero* anno 1456. In Charta fœderis initi inter *Gisbertum Brederodium* Electum & Ordines Ultrajectinos, contra *Philippum* Burgundiæ Ducem, ejuſque filium *Davidem*, nominatur *Theodoricus Grawaert* Decanus S. Salvatoris, quæ data eſt IX. Aprilis 1456. apud Matth. Analect. tom. 2. p. 481. 482. Sed ibi eſt error in menſe, & forte in anno. Nam *Walterus* Decanus cum deceſſerit menſe Septembri, non potuit *Theodoricus*

doricus ſucceſſiſſe menſe Aprili ejuſdem anni. Reperitur in instrumento quo Ordines Ultrajectini ſolemniter detulerunt *Davidi* Burgundo jam Epiſcopo oppidum *Wyck* te *Duerſtede* die 7. Julii 1459. quod eſt apud Matth. de Nobil. p. 896. 1459.

Necrologium: *Anno* CIↃ. CCCC. LXXVI. *menſis Auguſti die XI. obiit venerabilis vir magiſter* Theodoricus Grawaert, *Licentiatus in decretis*, *Decanus hujus eccleſiæ.* 1476.

XXIV. Theodoricus Utenweert ſucceſſit *Theodorico Grawaert*, & anno 1477. a *Davide Burgundo* e civitate ad tempus proſcriptus fuit quò reſtitui interim poſſet quies. V. Chartam apud Matth. in not. ad Annal. Egmundan. p. 257. In ipſis Annalibus ab A. Matthæo editis cap. 87. p. 123. ſcribitur quod *Theodoricus* eſſet Vicarius generalis *Davidis* Epiſcopi. Idem habet in Annalibus belgicis rerum in Hollandia & diœceſi Ultrajectina geſtarum, quæ Matth. edidit Analect. tom. 2. ubi vide pag. 1. & 6. ut tibi conſtet *Theodoricum* Decanum S. Salvatoris anno etiam 1481. An. 1477. 1481.

Obiit 16. Septembris anni 1483. prout ex Catalogo MS. Gualteri Brock me docuit Caſpar Burmannus in Analect. de *Adriano* VI. p. 454. ſtatim de ſucceſſore audiendus. 1483.

XXV. Hermannus de Lochorst de quo Caſpar Burmannus multa collegit loco citato, & accurate adeo notavit, ut melioribus quam ejus verbis ea nequeam dare. „ Gualterus Brock, *inquit Burmannus* in Catalogo MS. De„ canorum Salvatoris, teſtatur *Hermannum* hunc in ea digni„ tate ſucceſſiſſe *Theodorico Uytenweerde*, die XVI. Septem„ bris Anno M. CCCC. LXXXIII. mortuo. Idem Decanus „ memoratur Anno M. CCCC. XCVI. cùm *Davide Burgundo* „ mortuo *Fredericus* Marchio *Badenſis* Epiſcopus Trajectinus „ eligebatur. Vide Conclave Trajectinum editum A. Matth. „ tom. IV. Analect. veter. ævi pag. CCCCLVI. Ejus „ mentio & in Charta *Frederici Badenſis* apud Hedam p. „ CCCXXI. ubi *Fredericus* eum vocat *Decanum eccleſiæ noſtræ* „ *S. Salvatoris Trajectenſis noſtrum in Spiritualibus Generalem* „ *Vicarium.* Ubi notat Buchelius: *Hic fuit filius Wilhelmi de* „ *Lochorſt, patruum magnum habuit Hermannum de Lochorſt Decanum ſummi collegii Trajecti, & Canon. Leodienſem, qui anno* „ M. CCCC. XXXVIII. *obierat, & ſororem D. Ermgardim Ab-* An. 1483. hæc eſt Charta anni 1515.

 „ *batiſſam*

„ *batiſſam Servatianam anno* MDXX. *mortuam. Ipſe vero de-*
„ *ceſſit anno* MDXXVII. *ex nobili & antiquiſſima familia oriundus,*
„ *cujus hodierno die ſuperſunt reliquiæ.* Præterea memoratur
1517. „ Anno MDXVII. quo tempore *Philippus Burgundus*, mortuo
„ *Badenſi*, Epiſcopus electus ad poſſeſſionem epiſcopatus ad-
„ miſſus eſt, in diplomate apud Matth. tom. I. Analect.
„ Veter. ævi pag. CCLXXXII. ubi tamen male *Henricus de*
„ *Lochorſt* vocatur. Eundem adhuc ſuperſtitem fuiſſe, cum
„ mortuo *Philippo Burgundico*, *Henricus Bavarus* Epiſcopus
1524. „ Trajectinus eligebatur, id eſt Anno MDXXIV. conſtat ex
„ inſtrumento edito apud Matthæum ad Anonym. Bell. Co-
„ vord. pag. CXXII. Obiit vero die XI. menſis Auguſti anno
„ MDXXVII. ſecundum Necrologium Salvatoris editum apud
„ Matthæum in Fundat. Eccleſ. lib. I. pag. XCV. ubi tamen
„ male, ſive deſcriptoris, ſive typographi errore, *Anno*
„ M. CCC. XXVII. mortuus fuiſſe dicitur: pro quo *Anno*
„ M. IↃ. XXVII. legendum eſſe ſuperiora evincunt. Præter-
„ quam quod aliunde etiam conſtet *Aegidium Panſier* anno
„ M. CCC. XXVII. Eccleſiæ Salvatoris Decanum egiſſe, qui
„ jam anno M. CCC. XVIII. eam dignitatem obtinuit, & de-
„ mum die IV. Septembr. Anno M. CCC. XXX. obiit. Vitium
„ in laudato Necrologio commiſſum, eum, qui annotationes
„ in Epiſcopatum Trajectinum compoſuit, in errorem abri-
„ puit tom. I. pag. CCII. edit in 8. in fol. pag. LI. “ Hacte-
nus Burmannus.

Exiſtimo annotatorem *Henricum van Ryn*, in errorem potius abreptum fuiſſe per Heuſſenium, cujus lucubrationes belgice reddidit, & qui hunc errorem primus erravit in Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 535. col. 2. uti & alium pag. 28. ubi *Hermannum* noſtrum ſtatuit obiiſſe anno 1529. Sed hic vir indiligens fuit. Porro de ejus erroribus numquam laborat interpres *Henricus*, ſatis habens ſua adducere ex genio, & tam parum curans Hiſtoriam patriam, & auctorem qui ſub manu eſt, ut lectorem ſemper ducat vel ad alia prorſus tempora, vel ad res peregrinas, aliaſque non ſine injuria odioſas.

In annalibus vernaculis *Henricæ ab Erp* Abbatiſſæ, qui ſunt apud Matth. Analect. tom. I. Alius rurſus erratur error de *Hermanno* noſtro, qui ibid. p. 182. vixiſſe perhibetur anno

1549.

1549. Sed hunc excuſſi ſub *Ludolpho de Veno* Decano Majoris.

Ceterum Decanus noſter memoratur in Charta *Frederici Badenſis* anni 1501. quæ eſt Sententia inter capitulum eccle- 1501.
ſiæ collegiatæ S. Georgii Amersfortii, & ejusdem oppidi magiſtratum, ſuper jure patronatus parochiæ quæ ibidem fuit. Chartam dedit Matth. in not. ad Rer. Amersf. Script. p. 343. Occurrit etiam ad annum 1514. in teſtimonio quod de virtu- 1514.
tibus & pœnitentia Venerabilis *Bertæ* dedit & ſignavit apud Matth. Fund. & Fata in præfatione editionis anni 1703. quam ſolam hucuſque vidi. In utraque Charta *Hermannus*, & Decanus S. Salvatoris notatur & Vicarius in ſpiritualibus generalis *Frederici Badenſis*.

XXVI. GERARDUS DE SUGGERODE ſucceſſit *Her-* An.
manno, anno ſtatim 1527. De eo meminit Lambertus Hor- 1527.
tenſius Rer. Ultraj. lib. 5. pag. mihi 111. ubi *Gerardus* inter legatos Ultrajectinos ad Ducem Clivenſem pro pace inter *Henricum Bavarum* Epiſcopum, & Ducem Geldriæ. Anno 1528.
ſequenti invadente urbem *Henrico*, *Gerardus* Decanus inter captivos numeratur ab Hortens. lib. 7. p. mihi 158. Poſtea eodem anno ipſe cum reliquo clero & *Henrico Bavaro*, ditionis Ultrajectinæ dominium tranſtulit in Cæſarem Carolum V. apud A. Matth. de Nobil. p. 859. Anno 1529. cum eodem 1529.
clero dedit mandatum ad petendam confirmationem a Papa ſuper tranſlatione temporalitatis in Imperatorem factæ, nec non ſuper conſenſu de non eligendo Epiſcopum, niſi per Imperatorem nominatus fuerit, & de non eligendis Decanis, niſi qui Imperatori grati eſſent & accepti. Charta eſt inter *Tractatus* & a nobis ſup. editos. Anno 1531. cum reliquis 1531.
prælatis quinque eccleſiarum Ultrajectenſium conſenſit in mutationem juramenti ab Epiſcopis in ingreſſu eo um præſtandi, a *Carolo V.* mandatam: ubi ex his verbis: *Jura eccleſiæ meæ conſervabo illibata, libertatem electionis & exemptionis hactenus habitam & obſervatam per dioceſim Trajectenſem numquam infringam &c.* delevit Cæſar illud *electionis*. Charta eſt rurſus inter dictos *Tractatus*, ubi V. Notas noſtras. in qua & illud promittitur, quod præter juramentum generale, nullum aliud particulare, antea uſurpari ſolitum, deinceps exigeretur ab Ultrajectino Epiſcopo. Necrologus S. Salvatoris ad Kal.

1533. Febr. ita ſcribit: *Anno* CIƆ. IƆ. XXXIII. *obiit venerabilis Dominus* Gerardus *de* Suggerode, *utriusque juris doctor, hujus eccleſiæ Decanus.*

An. 1535. XXVII. CORNELIUS A MYEROP Decanus fuit S. Salvatoris, jam tum die 13. Februarii 1535. cùm Canonicus Majoris declararetur. Occurrit ad an. 1538. in Charta quæ eſt inter edicta Ord. Ultraj. novæ edit. tom. I. p. 275. 276.
1562. Exeunte anno 1562. decanatum vendidit (*inquit Drakenburb.*) *Wilhelmo Taets van Amerongen.* Uſus eſt vocabulo rei inter Acatholicos uſitatæ. Drakenburgius hunc adfert ex Brockii MS. & in append. Catalogi, hæc decanatus depoſitio refertur ad an. 1559. Van Leuwen in Bat. illuſtr. p. 1471. *Cornelium* ſcribit filium fuiſſe *Vincentii Corneliſz* magni Theſaurarii Belgii. Eſto. Sed male dixit, eum Decanum Majoris. Fuit Decanus Hagæ-Comitanus. V. Jacobi de Riemer deſcript. vernaculam Hagæ-Comitum tom. I. fol. 237. Fuit Præpoſitus Majoris XLVIII. V. ſup.

An. 1562. XXVIII. WILHELMUS TAITZ DE AMERONGEN Decanus ponitur ad ann. 1562. & 1568. in MS. Brockii apud Drakenb. Anno 1565. Subſcripſit Concilio provinciali Ultrajectino ſub *Frederico Schenckio* Archiepiſcopo. Bat. Sac. part. 2.
1569. p. 26. Supererat anno 1569. uti colligo ex *Hadriani Junii* epiſtola ad *Philippum Morum* Canonicum Ultrajectinum data, quæ eſt inter epiſtolas clarorum virorum, quas publicavit Simon Abbes Gabbema, ubi vide pag. 639. Fuit *Schenckii* Archiepiſcopi Vicarius Generalis. V. Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 41. col. 1. Obiit 4. Maji 1592. MS. Brockii.
1592.

An. 1592. XXIX. FOLCARDUS MONTZIMA. J. U. Doctor & Decanus S. Salvatoris electus ſtatim a morte *Wilhelmi Taets van Amerongen* (append. Catal. Drakenb.) anno 1592. die 14. Julii, magiſtrum *Theodoricum Brecher* diœceſis Mechlinienſis presbyterum præſentavit capitulo S. Salvatoris, præpoſitura & archidiaconatu ejuſdem eccleſiæ vacantibus, ſive officiali ejuſdem archidiaconatus, vicem eorum habenti & gerenti, pro inſtitutione canonica paſtoratus oppidi de *Oudewater.* Chartam dedit Nicolaus Broederſenius in Tract. Hiſt. primo.
1597. p. 266. Anno 1597. teſte A. Matthæo, *Folcardus* luſtravit reliquias ſive oſſa *S. Gregorii* Epiſcopi Trajectenſis, ante ſeſqui ſeculum

ſeculum inventa & extracta per *Henricum Houberch* Decanum ſupra. V. Analect. tom. 5. p. 474 Fuit Conſiliarius eccleſiaſticus in Supremo Senatu Mechlinienſi per diploma expeditum menſe Junio 1578 & videtur poſt biennium huic muneri renunciaſſe, nam anno 1580. menſe Decembri, *Godefridus Vueſel* ei in Supremo Senatu ſucceſſit, ut habes in Suppl. Chriſtophori Butkens Trophées de Brabant tom. 2. p. 316. *. Obiit *Folcardus* 12. Octobr. 1605. *Append. Catal. Drakenb.* Erat frater *Buchonis a Montzima* Præpoſiti S. Joannis & *Viglii ab Aytta Zuichemi* e ſorore nepos.

XXX. PETRUS VAN HONTHORST Decanus Electus An.
eſt die 21. Octobris 1605. Drakenb. Obiit 6. Aug. 1608. 1605.
Append. Cat. Drakenb. Succeſſorem habuit acatholicum ipſe 1608.
catholicus, & ſenior canonicus quinque capitulorum cùm moreretur. Supereſt hæc familia catholica Ultrajecti.

PRÆ-

PRÆPOSITI ECCLESIÆ
S. PETRI.

An. I. RUDOLPHUS. Hunc arbitror non fuiſſe Præpoſitum anno 1005. quem Heuſſenius ei tribuit in catalogo, quia nempe illo anno nondum fundata erat eccleſia S. Petri, ut manifeſte patet apud Matth. Fund. & Fata p. 109. & 110. *Bernulphus* Epiſcopus, qui eam ædificavit, ad Sedem Ultrajectinam acceſſit anno 1027. eamque morte vacuam fecit anno 1054. ut Matthæus ibidem, & Bockenbergius in Catalogo.

1085. Porro *Rudolphus* Præpoſitus S. Petri ſubſcripſit Chartæ *Conradi* Epiſcopi, quæ eſt de anno 1085. apud Buchelium ad Hedam pag. 142. & illam vidit *David Burgundus* anno 1461. & confirmavit; ut habes apud Matth. de Nobil. pag. 435. Drakenburgius non aperit ſe: ſed nobis conſentire videtur, dum annum 1005. rejecit a *Rudolpho* Præpoſito.

An. 1108. II. ANSFRIDUS adhibitus eſt teſtis in Charta *Burchardi* Epiſcopi anni 1108. apud Buchelium ad Hedam pag. 144. & in alia ejusdem Epiſcopi Charta de eodem anno, continente donationem eccleſiarum in Waſia capitulo S. Salvatoris factæ. ibid. p. 146. 147.

Heuſſenius ſtatuit eodem anno *Godebaldum* Præpoſitum qui mihi hactenus non occurrit. Quare Drakenburgius hunc admittit ſine cauſa?

An. 1118. III. THEODORICUS ſubſcripſit Chartæ *Godebaldi* Epiſcopi, per quam Decano Majoris epiſcopalem præbendam conceſſit, quæ præfert annum 1118. apud Buchelium ad Hedam. p. 151. 152. Heuſſenius huic *Theodorico* tribuit annos 1119. & 1121. Idem facit Drakenburgius ſuccentor Heuſſenii.

An. 1131. IV. LUZO, *Præpoſitus de S. Petro* memoratur in Charta *Andreæ* Epiſcopi tradentis eccleſiæ S. Petri parochiam *Ulſæ* in comitatu Benthemienſi, quæ eſt anni 1131. in hiſt. epiſc.
1132. Daventr. p. 160. col. 2. Subſcripſit anno 1132. cum reliquo clero fundationi Monaſterii Staurienſis in Friſia, ab eodem *Andrea* factæ, quæ eſt apud Matth. Anal. tom. 6. p. 74. Et eodem

eodem anno ſubſcripſit alteri Chartæ ejuſdem *Andreæ* recognitæ a *Joanne Naſſavio* Electo Ultrajectino, in qua eſt *Luſo præpoſitus S. Petri*; apud Matth. Rer. Amersfort. pag. 14. 15. Heuſſenius vult hunc ea dignitate præditum fuiſſe anno etiam 1134. & tamen ei anteponit *Anthelmum*, neſcio quem, cui tribuit annum 1133. Neſcivit etiam Drakenburgius *Anthelmum* hunc, quem tamen locum habere fecit in ordine inordinato.

V. Albero, Heuſſenius ſcribit *Abezo*. Hic occurrit in An.
Andreæ Epiſcopi tabulis, quibus in ſui & *Themonis* S. Salva- 1139.
toris Præpoſiti, memoriam, varia bona & decimas tradidit canonicis S. Salvatoris, qui iis uti tenebantur ad *quotidianas refectiones in communi loco*. Charta anni 1139. eſt apud Buchelium ad Hedam p. 160.

VI. Lambertus ſive Luitbertus. Ita enim in An.
duabus Chartis *Conradi* III. Rom. Regis ejuſdem diei, nempe 1145.
datis: *Anno dominicæ incarnationis MCXLV. Indict. VIII. XV. Kal. Novembr.* in quibus *Lambertus* Sancti Petri Præpoſitus, & *Luitbertus* Sancti Petri Præpoſitus. Ambas vide apud Buchelium ad Hedam p. 165. & 167.

VII. Andreas Præpoſitus ſubſcripſit Chartæ *Hermanni* An.
Epiſcopi de anno 1155. quam dedit A. Matth. de Jur. Glad. 1155.
pag. 119. 120. Et in notis ad Anonymum de Rebus Ultrajectinis p. 99. profert Chartam *Godefridi Rhenenſis* anni 1164. 1164.
in qua teſtis ordine ſecundus, eſt *Andreas* S. Petri Præpoſitus: ſed hæc Charta eſt anni 1166. uti oſtendi in *Hermanno* 1166.
II. Decano S. Salvatoris.

VIII. Godefridus occurrit in Charta *Godefridi* Epiſco- An.
pi donationis eccleſiæ S. Joannis factæ de XX. jugeribus in 1169.
Boſenken, quæ eſt anni 1169. apud Matth. in notis ad Anonym. de Reb. Ultraject. p. 100. Item in Charta *Balduini de Hollandia* Præpoſiti S. Mariæ, quæ ejusdem anni eſt. Ibid. p. 102. 103. Nec non in Charta prædicti *Godefridi* Epiſcopi, quam Buchelius ad Hedam p. 175. refert ad annum circiter
1170. Denique in Charta prædicti quoque *Balduini* de anno 1170.
1176. fundationis anniverſarii ſui & fratris ſui *Franconis* Sa- 1176.
cerdotis, quæ eſt a Matth. edita in notis citatis, pag. 103. 104. Heuſſenius in Catalogo ſtatuit *Godefridum* Præpoſitum ad an. 1178. Non habeo unde contradicam.

An. 1196. IX. WALTHERUS ſive *Walterus* & *Wolterus* Præpoſitus. In Charta cujusdam tranſactionis inter capitulum S. Mariæ & cives Ultrajectinos anni 1196. eſt *Waltherus S. Petri Præpoſitus* apud A. Matth. de Jur. Glad. p. 383. In Charta *Theodorici de Are* Epiſcopi ejus nominis ſecundi de anno 1200. teſtis eſt *Wolterus S. Petri præpoſitus.* Hiſt. Epiſc. Daventr. p. 187. col. 1. in fine. Porro in Charta compoſitionis inter eumdem *Theodoricum* Epiſcopum & *Theodoricum*
1204. VII. Comitem Hollandiæ, quæ de anno 1204. eſt apud Buchelium ad Hedam p. 189. ubi ſcribitur *Walterus præpoſitus S. Petri.*

Neſcio an *Walterus* poſterioribus etiam annis fuerit Præpoſitus. Et dubium ſit ex Charta apud Buchel. ad Hedam p. 203. in qua eſt *Walterus Præpoſitus S. Petri* anno 1228. qui videtur eſſe alteri Præpoſito tribuendus, ut infra patebit. Error forte ineſt numeris, nam A. Matth. ſubſcriptionem hujus Chartæ transſcribens in tractatum ſuum de Nobil. p. 798. illi tribuit annum 1200. Heuſſenius in catalogo non ultra annum 1200. adſcripſit *Waltero* Præpoſito.

An. 1221. X. WIGERUS, *Wigherus*, *Wiegerus* & *Wikkerus* unus & idem. In Charta *Ottonis de Lippia* ejus nominis ſecundi Epiſcopi Ultrajectini anni 1221. eſt *Wigerus* S. Petri Præpoſitus. Hiſt. Epiſc. Daventr. p. 29. col. 1. In Charta *Giſelberti de*
1224. *Amſtele* anni 1224. eſt *Wigherus*; apud Matth. Analect. tom. 6. p. 56. In Charta *Ottonis* jam dicti de anno 1225. eſt
1226. *Wiegerus*; de Jur. Glad. p. 425. In Charta anni 1226. rurſus, *Wigerus*, in alia anni 1227. eſt *Wikkerus.* Vide utramque apud Matth. ad Anonym. p. 160. 161. Dubito an *Wigerus* idem ſit qui

XI. *Walterus*, nam in Charta *Conradi* Cardinalis Portuenſis, & S. Ruffinæ Epiſcopi, ac ſedis apoſtolicæ legati, quæ eſt apud Buchelium ad Hedam pag. 200. 201. bis legitur *Walterus Præpoſitus S. Petri.* Eſt autem anni 1225. & male adſcribuntur hi numerales litteræ: *Anno Domini MCXXV. VII. Kal. Februarii.* nam cum agatur de controverſia inter *Ottonem* Epiſcopum & *Florentium* Comitem Hollandiæ; inter *Ottonem*, inquam, *de Lippia*, id eſt, ejus nominis ſecundum, perſpicuum eſt ſcribi debuiſſe: *Anno Domini MCCXXV.* Ceterum hos Præpoſitos diſtinctos exhibeo, quod non ſit facile,

le, ut *Wolterus* & *Wigerus* eadem dicantur nomina eſſe.

XII. Raymarus, ſive *Reynerus* Præpoſitus apud Heuſſe- An.
nium in catalogo ad annum 1228. uti etiam in Charta apud 1228.
Matth. de Reb. Ultraj. p. 163. Dein mihi occurrit ad annum 1230. in Charta privilegiorum a *Wilbrando* Epiſcopo conceſſorum monaſterio Sanctimonialium ordinis Ciſtercienſis, quod olim in pago *Loſduinen* in vicinia Hagæ-Comitis. Chartam dedit A. Matth. Analect. tom. 6. pag. 22. 23. Item in Charta ejusdem Epiſcopi dotationis Monaſterii Sanctimonialium ordinis S. Benedicti Montis B. Mariæ Virginis in pago *Swarteſluys*, Provinciæ Tranſiſulanæ, dioceſis Daven-
trienſis, quæ anni 1233. exſtat in Hiſt. Epiſc. Daventr. p. 1233.
108. 109. Subſcripſit etiam anno 1235. Chartæ *Ottonis* III.
ejus nominis Epiſcopi, de quodam manſo domui Teutonicæ 1235.
Ultrajecti tributo, quæ eſt in Analect. tom. 10. p. 375. Cum
idem *Otto* anno 1240. capitulo Daventrienſi propter ipſius 1240.
eccleſiæ miſerabile damnum & incendium, quasdam decimas novales ejusdem reparationi impendendas concederet, inter prælatos Ultrajectinos huic donationi conſenſum præbentes, nominatur quoque *Raymarus S. Petri præpoſitus.* Chartam dedit Lindebornius Hiſt. Epiſc. Daventr. p. 31. col. 1. Et
anno 1243. cum rurſus *Otto* ille aream eccleſiæ S. Salvatoris 1243.
Ultrajecti, ſitam juxta turrim S. Martini, ſeu eccleſiæ Majoris, concederet dictæ eccleſiæ S. Salvatoris, aſſenſum præbuit *Reynerus præpoſitus S. Petri* in Charta quam profert A. Matth. Fund. & Fata p. 54. 55. Patet porro *Reynerum* non eſſe diſtinguendum a *Reymaro*, nam in Sententia *Ottonis* inter Abbatem S. Pauli & *Joannem de Perwys* Decanum eccleſiæ
S. Joannis, lata *XVI. Kal. Aug. anno Dni milleſimo ducenteſi-* 1247.
mo quadrageſimo ſeptimo primus inter prælatos ſubſcripſit *Reymarus Sancti Petri Præpoſitus.* apud A. Matth. de Nobil. p. 401. In append. catal. Drakenb. notatur *Reymarus* etiam
ad annum 1250. 1250.

XIII. Balduinus filius Comitis *de Benthem* anno 1258. Ita An.
Heuſſ. in Catalogo. Sed is mihi nullibi occurrit. A Dra- 1258.
kenburgio arripitur. Cum multus hic locus ſit, aliquem occupabit, donec edoceamur melius.

XIV. Engelbertus *de* Ysenbroke appendit ſigil- An.
lum ſuum Sententiæ arbitrorum electorum ad dirimendam 1267.

 con-

controverſiam ſuper teſtamento *Henrici Viandenſis* Epiſcopi Ultrajectini, quæ anni 1271. eſt apud Matth. de Nobil. p. 270.
1271. 271. In Charta *Reinaldi* Comitis Gelriæ ejusdem anni, eſt *Engelbertus de Iſenbrucke præpoſitus eccleſiæ Sancti Petri Trajectenſis* apud Pontan. Hiſt. Gelricæ lib. 6. mihi pag. 184. Chriſtophorus Butkens in Trophæis Brabantiæ tomo 2. nov. edit. p. 165. ſcribit *d'Iſenbourg*. In append. catal. Drakenb. notatur. *Engelbertus* Præpoſitus ad an. quoque 1267.

An. XV. Stephanus *de* Beusichem fuit ſucceſſor *Engelberti* inquit Heuſſenius. Aſſentior. Cognomen non occurrit
1282. mihi hactenus. In Charta *Joannis* Electi de anno 1282. quæ eſt in litteris vernaculis (quas vocant *Vidimus*) *Guilelmi* Principis Auriaci, legitur *Stephanus præpoſitus S. Petri* apud A. Matth. de Nobil. p. 1065. 1066. Et in not. ad Annonym. de Reb. Ultraj. p. 154. profert Chartam quæ incipit his verbis: *Univerſis præſens ſcriptum inſpecturis nos* Stephanus *præpoſitus*, Giſelbertus *Decanus & capitulum eccleſiæ beati Petri*
1291. *Trajectenſis* &c. cui adſcribit annum 1291. & illam alterâ vice, etiam mutilam, edidit in Syllog. Epiſt. Alciati aliorumque pag. 548.

An. XVI. Fredericus *van* Zierick Præpoſitus occurrit in Charta *Joannis* II. Epiſcopi, cui idem cognomen, quæ
1294. anni 1294. eſt apud Matth. de Nobil. p. 828. & ſeqq. Hic
1317. *Fredericus*, Epiſcopus Ultrajectinus factus eſt anno 1317. & obiit juxta Bockenbergium anno 1322. 13. Kal. Auguſti, ſepultus in Majori eccleſia. Vide Chronicon auctius Johannis de Beka apud Matth. Analect. tom. 5. p. 213. & Chron. latin. Analect. tom. 9. p. 52. ubi tamen eſt error in numeris, dum *Guido de Hannonia*, *Frederici* in epiſcopatu deceſſor, obiiſſe ſcribitur anno 1318. Necrologium S. Salvatoris ejuſdem obitum adnotavit valde jejune: *XIII. Kal.* (Auguſti) *obiit* Fredericus *de* Zirc *epiſcopus Trajectenſis*.

An. XVII. Bertoldus ab Heuſſenio omiſſus, occurrit ad
1330. annum 1330. in Charta *Joannis de Dieſt*, qui tertius fuit ejus nominis Epiſcopus, quam habes apud A. Matth. de Nobil. p. 775. Drakenburgius hunc reperit; ſed legi poſſet *Ricoldus* (qui ſequitur) idque cum ſimilitudine veri, *inquit Drakenb.* Veriſimilitudo, niſi aliunde juvetur, ſæpe fallit. Si, qui ſequitur Præpoſitus, appellaretur *Arnoldus*, eſſetne pariter veri-

veriſimile hic legi poſſe *Arnoldum* loco *Bertoldi*? Legatur quod ſcriptum eſt.

XVIII. Ricoldus *van* Hezewyc ſive *Heeswyc* occurrit in Charta *Joannis Diſthenſis* anni 1336. qua univerſam ditionem Tranſiſulanam obligavit Gelriæ Comiti *Reinaldo* ejus nominis ſecundo, pro quadraginta tribus millibus librarum Turonenſium, quam edidit Gerhardus Dumbar Analect. ſuorum tom. 2. a pag. 254. Fuit Præpoſitus S. Petri anno etiam 1343. quando cum reliquis prælatis Ultrajectinis definivit, Epiſcopum parere debere capituli Sententiæ, uti retuli in *Joanne de Bronckhorſt* Præpoſito S. Salvatoris. Heuſſenius *Ricoldum* Præpoſitum ſtatuit anno 1320. An. 1336. 1343.

XIX. Walterus *de* Bloemendael ab Heuſſenio adductus ad annum 1350. mihi nondum repertus; a Drakenburgio aſſumptus, quia nihil obſtat. An. 1350.

XX. Zuederus Uterloe fuit Præpoſitus S. Petri (anno 1352. ſecundum auctorem append. Catal. Drakenb.) antequam ad Præpoſituram Majoris eccleſiæ promoveretur, uti habes ſupra inter Præpoſitos Majoris, & patet ex Chronico magno Belgii, ubi p. 329. alias 302. ita habes: *Anno Domini MCCCLX. Joannes epiſcopus caſtrum de* Aerckelſteyn *juxta Daventriam propriis ſuis pecuniis conſtrui fecit. Et caſtrum de Ema juxta Amersfordiam de manibus* Zuederi Uterloe *Præpoſiti Sancti Petri tunc, & poſtea Præpoſiti & Archidiaconi Trajectenſis, per amicabilem compoſitionem eripuit, quod idem Præpoſitus ſumptuoſe ædificaverat, vicarius dicti domini epiſcopi.* Videtur præpoſituram S. Petri non reliquiſſe anno 1360. quamvis tunc Præpoſitus Majoris. Heuſſenius conceſſit ei annum 1357. In MS. Brockii notatur etiam quod *Zuederus* anno 1360. Præpoſitus S. Petri electus fuerit. Drakenburgius non affirmabit in poſterum, quod incertum ſit an *Zuederus* Præpoſitus Majoris, & *Zuederus* Præpoſitus S. Petri, unus ſit & idem. Non viderat Chronicon magn. Belgii loc. cit. An. 1352. 1360.

XXI. *Pelegrinus de Reno* occurrit uti Præpoſitus S. Petri in Necrologio apud A. Matthæum Fund. & Fata p. 117. non addito anno, die aut menſe obitus ejus. Anno 1364. erat Canonicus S. Petri, in Chartis apud Matth. de Nobil p. 782. & 787. Anno 1365. item Canonicus. Analect. tom. 9. p. 225.

Poſtea non comparet amplius uti Canonicus. Quare putavit Drakenburgius, cum hoc loco collocandum eſſe tamquam Præpoſitum S. Petri. & forte *Zuedero* ad præpoſituram Majoris promoto, ſucceſſerit. Incompertum quo tempore. Fuit certe Præpoſitus hujus eccleſiæ.

An. XXII. Rudolphus *de* Ysenderen vel *Yſendoren*
1380. (Heuſſenius ſcribit *Iſendoorn* Præpoſitus S. Petri anno 1380. uti patet ex Charta apud A. Matthæum de Nobil. p. 266. & ſeqq. Erat Vicarius generalis Florentii de *Wevelinckhoven* Epiſcopi Ultrajectini quinquageſimi, ex Charta ibid. p. 380.
1386. & ſeqq. Subſcripſit anno 1386. translationi jurisdictionis & decimarum in *Herberts-coop*, Decano & capitulo Eccleſiæ Majoris. Charta eſt apud Buchelium ad Hedam p. 263. &
1389. ſeqq. Anno 1389. cum quæſtionem haberet cum capitulo S. Petri ſuper potu, pane, & annona, a Præpoſitis quotannis, & ſtatis temporibus ſolvenda Canonicis, lis compoſita fuit per ſententiam arbitralem *Florentii* Epiſcopi, quam legere eſt
1400. apud Matth. Fund. & Fata p. 126. Anno 1400. una cum prælatis Eccleſiarum Ultrajectenſium, nomine Eccleſiæ, & ad opus Epiſcopi, accepit traditionem altæ juriſdictionis caſtri, oppidi, & territorii *de Ameyda*. Charta eſt apud A. Matth. de Nobil. in præf. præfixa libro tertio pag. 22. Necrologium Monaſterii de Aldvica in ſuburbio Ultrajectino, quod eſt apud A. Matth. Fund. & Fata Eccleſ. ita habet p. 440: *Kal. Martii obiit dominus* Rudolphus de Yſendoorn, *præpoſitus Eccleſiæ S. Petri Trajectenſis, qui contulit conventui XIV. flor. annuatim.* Heuſſenius annum obitus ſtatuit ad an.
1410. 1410. uti etiam Brockius apud Drakenb.

An. XXIII. Jacobus van *Lichtenberch* ex nobili *Lichtenber-*
1410. *giorum*, & in rep. Ultrajectina potenti olim ortus familia, ut habet Buchel. ad Hedam pag. 279. fuit Præpoſitus S. Petri jam inde a die 20. Maji 1410. uti patet ex Charta *Frederici de Blanckenheym* Epiſcopi, ſuper decimis de *Abcoude* eidem Præpoſito adjudicatis, quam dedit A. Matth. patrio ſermo-
1413. ne in tractatu de Jur. Glad. p. 401. Anno 1413. in exilium miſſus fuit a factioſis quos male habebat fœdus Ultrajectenſium cum Duce Bavaro contra Arckelios initum, uti notavit
1423. Buchelius ſup. cit. Anno 1423. vacante per obitum dicti *Frederici* Epiſcopi, Sede Ultrajectina, electus fuit *Jacobus* Vicarius

rius generalis, cujus electionis Charta eſt apud Matth. Analect. tom. 9. a pag. 268. Vide etiam *ſpecimen conditionis Broederſenianæ p.* 18. n. 17. Exſtant acta *Jacobi*, uti Vicarii generalis Sede vacante, & inter alia Charta erectionis parochiæ de *Valckenborch*, quam integram dedit A. Matth. Analect. tom. 6. p. 118. & Heuſſenius bis mutilam & vitioſam, nempe in Bat. ſac. part. 2. p. 353. & rurſus in hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 499. *Henricus Van Ryn* tomo 3. p. 920. 921. ex una Charta duas fecit, nec, quod vacuum erat aut vitioſum, ex Matthæo ſupplevit, aut emendavit. Alia ille curat ſcilicet.

Ceterum *Jacobus* Præpoſitus anno 1427. cum pluribus prælatis & Canonicis Ultrajectinis aſſumpſit *Rudolphum Diepholdium* in tutorem, & defenſorem vulgo *Mamburnum* patriæ. Charta eſt in Analect. tomo 9. a p. 325. & eodem anno cum iiſdem publice ſprevit interdictum pontificium, inflictum ob repulſum *Suederum Culemburgium* Electum Ultrajectinum, & impulſu Ordinum divina reſumenda ſancivit. Charta eſt apud Matthæum in notis ad Rer. Amersf. Scriptores p. 272. Supererat anno 1437. ut patet ex Charta apud Matth. Analect, tomo 2. p. 501. 502. Heuſſenius illum obiiſſe ſcribit anno 1449. 2. Septembr. Item Brockius apud Drakenb. & append. Drakenburgii. 1427. 1437. 1449.

XXIV. HENRICUS *de* ROEVER *de* WINSEN anno 1449. 6 Septembris ſucceſſit. Ita Heuſſenius in Catalogo, nec non Brockius apud Drakenburgium, qui addidit, dignitate eum exutum fuiſſe a *Joanne* Schadé, ejuſque adhærentibus, & ultimum diem obiiſſe 20. Maji 1468. An. 1449.

XXV. JOANNES SCHADÉ Præpoſitus S. Petri, & Canonicus Majoris anno 1452. Ita Heuſſenius. MS. Brockii habet, quod pulſo *Henrico* Præpoſitus factus anno 1449. e vivis ſublatus fuerit. anno 1452. An. 1449.

XXVI. WALTERUS *de* GAUDA Præpoſitus S. Petri, haud dubie. Heuſſenius dicit: *Creditur Jacobo de Lichtenberch ſucceſſiſſe.* Quid igitur interpoſuit duos? Drakenburgius ait, quod *Joanni Schadé* ſucceſſerit. Anno 1455. interfuit electioni *Gysberti Brederodii*, cujus electionis tabulas prodidit Matth. Analect. tom. 2. a p. 432. Eodem anno approbavit, uti Vicarius generalis Sede vacante per obitum *Rudolphi Diepholdii*, teſtamentum & fundationem *Walteri Grawert* Decani S. Salvato- An.

vato-

vatoris. Teſtamentum edidit Matth. Analect. tom. 3. p. 403.
1459. Anno 1459. cum reliquis prælatis, & Statibus patriæ Ultrajectinæ, compoſitionem iniit cum *Davide de Burgundia* Epiſcopo, pro conſervatione oppidi de *Wyck* & caſtrorum de *Deurſtede* & *Abcoude*. Charta eſt apud Matth. de Nobil. p.
1461. 896. Anno 1461. 21. Maji ſubſcripſit inveſtituræ, quam idem *David* conceſſit *Johanni* Burchgravio Montfortii, quæ eſt in tract. de Jur. Glad. p. 152. 153. ubi tamen perperam Præpoſitus noſter vocatur *Wilhelmus*. Eadem Charta exſtat in tractatu de Nobil. p. 808. ubi *Wolterus vander Goude*. Necrologium S. Salvatoris ad III. Non Aprilis ita habet: *Anno Do-*
1475. *mini* CIↃ. CCCC. LXXV. *obiit venerabilis vir Magiſter* Walterus de Gouda *præpoſitus S. Petri Canonicus noſter.*

An. 1476. XXVII. Joannes *de* Burgundia 1476. Heuſſenius in Catalogo, & ex illo Drakenburg. Erat frater *Davidis de Burgundia*, qui hoc tempore Sedem Ultrajectinam tenebat, & cujus favore ad dignitates non difficilis ei erat aditus. Erat filius nothus *Philippi Boni.*

In Notis ad teſtamentum *Philippi Boni*, apud Miræum in Diplom. tom. 2. pag. 1263. exhibentur nomina nothorum ejus. Inter hos eſt *Joannes a Burgundia*, qui & Præpoſitus, B. M. Brugis, & S. Audomari. Item Arienſis. V. Gall. Chriſt. tom. 3. pag. 475. In Chronico Egmundano per A. Matth. edito & illuſtrato, pag. 119. dicitur *Johannes Baſtardus Burgundiæ*, intruſus in Abbatiam Egmundanam. Porro attende, quod omnibus a me citatis locis nulla fiat mentio de ejus Præpoſitura S. Petri. Forte & hic fuit intruſus, quia tempore tam modico præfuit: & locum illi feci, quod Heuſſenius & Drakenburgius, quamvis nihil probent, ita velint. Obiit 25 Junii 1499. ſepultus in choro S. Audomari Gall. Chriſt. l. c. Ejus auctores ignorarunt quod Canonicus quoque fuerit S. Gummari Liræ in Brabantia, ita in ſchedis J. F. Foppens.

An. 1478. XXVIII. Joannes *de* Heesboem ſive *Hoesboom* anno 1478. 3. Junii. Heuſſenius in Catalogo. Occurrit in Charta electionis *Frederici* Marchionis *Badenſis* Epiſcopi Ultrajectini,
1496. quæ contigit anno 1496. Charta integra eſt in A. Matth. Analect. tom. 4. a p. 437. Drakenburgius plura neſcit ſed in ejus append, ſcribitur *Joannes* obiiſſe Coloniæ 13. Junii 1500. quo anno non erat amplius Præpoſitus.

XXIX. Ni-

XXIX. Nicolaus de Burgundia de quo *Gerardus Noviomagus* in Schedis ita habet apud A. Matthæum de Jur. Glad. p. 419. *Venerabilis, circumſpectus, & egregius vir Dnus ac Mr. Nicolaus de Burgundia presbyter Remenſis dioceſis apoſtolicâ collatione & proviſione præpoſituram & archidiaconatum S. Petri Trajectenſis obtinuit anno* 1498. *quarto decimo Kal. Junii. Filius fuit hic Nicolaus Antonii tertii baſtardi Philippi Boni, Comitis de Roche & domini de Tornechem.* Difficultatem haberet impetratæ præpoſituræ tempus quod Eraſmus *Nicolao a Burgundia* Præpoſito epiſtolam dedit 26. Januarii 1498. quæ exſtat novæ editionis Operum ejus tom. 3. col. 23. niſi ſtylo veteri menſis Junius præceſſiſſet Januarium. Drakenburgius ſolum *Nicolai* nomen cognovit; & genus ex Heuſſenio, qui præterea nihil. 1498.

XXX. Jacobus Simonetta Mediolanenſis, Aulæ Conſiſtorialis advocatus, Sacræ Romanæ Rotæ Auditor, fuit Præpoſitus S. Petri. ſed dignitatem hanc dimiſit anno 1523. Append. Catal. Drakenb. Poſt a *Paulo* III. Cardinalis creatus eſt 21. Maji 1835. In Sacro Conc. Trid. tamquam Sedis apoſtolicæ legatus præſedit. An. 1523.

XXXI. Petrus Verbeek van Geldorp fuit Præpoſitus anno 1523. & deſiit eſſe anno 1525. Append. cit. An. 1523.

XXXII. Fredericus Schenk a Tautenburch, filius *Georgii*, qui fuit *Caroli* V. Cæſaris per Friſiam Vicarius, & aurei Velleris Eques. *Fredericus* laudatur a Valerio Andrea in Bibliotheca Belgica, ubi etiam recenſet ejus lucubrationes. Quo anno Præpoſitus factus fuerit non comperi, ſed opinor id accidiſſe anno 1529. quando *Georgius de Solmis* factus eſt loco ejus Decanus S. Petri, quam dignitatem ante tenuit *Fredericus*. Et in MS. Brockii apud Drakenb. id contigiſſe dicitur menſe Februario 1529. adeo non male divinabam. Certe cum ad Archiepiſcopatum Ultrajectinum noviter erectum promoveretur anno 1561. erat Præpoſitus S. Petri. Ceterum intolerabilis eſt ſegnities Heuſſenii, qui in Catalogo ſcribit, *Fredericum Schenckium, poſt Georgum Egmondanum* fuiſſe *epiſcopum ac poſt Archiepiſcopum Trajectenſem* quaſi non ſimul & ſemel factus fuiſſet Archiopiſcopus: cujus 20. probationes attulerat in *Batavia Sacra*, jam memoria lapſus, & præcipitanter errans. An. 1529. 1561.

rans. Obiit *Fredericus* Archiepiſcopus octavo Kal. Septembr. anni 1580.

Ante epiſcopatum plures (pro more illorum temporum) dignitates Eccleſiaſticas poſſedit. Fuit Præpoſitus S. Plechelmi Oldenzaliæ, Canonicus majoris Eccleſiæ Ultrajecti, & Paſtor ac rector Eccleſiæ Parochialis de *Rynsburg*. Quin etiam favente *Carolo* V. Cæſare anno 1557. in proximo erat, ut in coadjutorem *Remberti de Kerſſembrugh* Epiſcopi Paderbornenſis a capitularibus deligeretur. Sed negotio necdum maturato, aut mutatis rebus, aliam in Belgio ſedem conſecutus eſt. Ita ex variis litteris *Viglii Zuichemi* ad *Schenckium* datis intelliges; quas quære inter *epiſtolas ſelectas* tom. 2. part. 1.

An. 1569. XXXIII. Walterus van Kerckhoven nominatus a Rege *Philippo* II. ad præpoſituram vacantem per promotionem *Frederici Schenckii* ad ſedem Ultrajectinam. Charta nominationis expedita 18. Auguſti anno 1569. eſt apud. A. Matth. Fund. & Fata p. 46. Fuit etiam Decanus S. Plechelmi Oldenzalienſis, & S. Remigii Bockenſis Hiſt. Epiſc. Davent. p. 67. col. 1.

An. 1580. XXXIV. Wilhelmus de Alendorp filius Johannis (cujus mater erat Walburgis de Nieuwenaer) & Margaretæ de Hennin, Præpoſitus S. Petri anno 1580. Ex Heuſſenio Drakenburg. Neſcio an hic catholice vixerit & mortuus ſit.

DECANI ECCLESIÆ S. PETRI.

I. TIETBALDUS anno 1081. Decanus fuiſſe perhibetur in Append. Catal. Drakenb. Edictor. Ultraject. tom. I. p. 754. col. 2. An. 1081.

II. THEODORICUS Decanus S. Petri, primus qui mihi occurrit; in Charta Andreæ Epiſcopi de anno 1130. eſt apud Buchel. ad Hedam pag. 161. Antiquiorem Drakenburgius non reperit. An. 1130.

III. LUTBERTUS fuit Decanus S. Petri anno 1131. uti habet ſubſcriptio Chartæ *Andreæ* Epiſcopi, quæ eſt apud Matth. de Jur. Glad. p. 359. 360. Item anno 1132. ex Charta ejuſdem *Andreæ*, fundationis Monaſterii Staurienſis in Friſia, quæ eſt in Analect. tom. 6. p. 74. 75. Anno 1134. ſubſcripſit Chartæ ejuſdem rurſus Epiſcopi confirmantis fundationem Monaſterii Bernenſis Ordinis Præmonſtratenſis, quam adfert Heuſſenius in Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 259. 260. Denique anno 1139. ſubſcripſit eidem Chartæ, cui ſupra *Albero* præpoſitus. V. Buchel. ad Hedam p. 160. An. 1131. 1132. 1134. 1139.

IV. JOHANNES anno 1147. in Append. Cat. Drakenb. An. 1147.

V. HERMANNUS vel *Herimannus* Decanus occurrit in Charta *Hermanni* Epiſcopi anni 1155. apud A. Matth. de Jur. Glad. p. 120. Anno 1156. ſubſcripſit Chartæ *Godefridi* Epiſcopi, vindicantis Eccleſiæ S. Joannis ejuſque Præpoſito ſæpe controverſam decimam de *Oge*. Charta eſt apud Matth. de Nobil. p. 458. 459. Anno 1163. ſignavit fundationem *Riquardi* Canonici S. Joannis, pro feſtis aſſumptionis & purificationis B. M. V. Conceptionis S. Joannis Baptiſtæ, & SS. Nicolai & Magdalenæ, atque pro tricenario & anniverſario ſuo, nec non pro anniverſario Patris & Matris ſuæ. Charta eſt apud A. Matth. ibid. p. 542. 543. Occurrit etiam anno 1166. in Charta *Godefridi* Epiſcopi apud Matth. in notis ad Anonym. de Reb. Ultraj. p. 99. & ibid. p. 100. in alia ejuſdem Char- An. 1155. 1156. 1163. 1166.

1169, ta anni 1169. & ſubſcripſerit etiam anno 1170. tertiæ Gode-
1170. fridi Chartæ, ſi benè notavit Buchel. ad Hedam p. 174. 175. 176. Quinimo ſuperfuit, & uti Decanus ſubſcripſit famoſæ
1176. fundationi *Balduini de Hollandia* Præpoſiti B. M. anno 1176. apud Matth. in not. ad Anonym. de Reb. Ultraj. p. 103.
1178. 104. & anno 1178. Chartæ *Godefridi* Epiſcopi de donatione caſtri de *Horſt* ibid. p. 114.

An. VI. HENRICUS Decanus ſubſcripſit Chartæ *Theodorici* II.
1200. Epiſcopi de anno 1200. uti eſt apud Matth. in not. ad Anonym. p. 134. & alteri ejuſdem Chartæ de monaſterio Canonicorum regularium S. Auguſtini, Bethleëm nuncupato, quod fuit in oppido Deutecomienſi diœceſis Daventrienſis quam dedit Lindebornius in Hiſt. Epiſc. Daventr. p. 186. 187. in editione Heuſſenii. Eſt autem ejuſdem anni. De hoc *Henrico* intelſige, niſi aliter videatur, quod habet Necrologus S. Salvatoris: *XVIII. Kal.* (Februar.) *obiit* Henricus *filius* Giſelberti, *Decanus Eccleſiæ S. Petri Trajectenſis.* Nec enim cauſam video, ob quam Drakenburgius hunc ad duo ſecula recentiora ablegaverit in quibus jam uſitata cognomina.

An. VII. ELIAS, vel etiam *Helias* Decanus. In Charta compoſitionis inter *Theodoricum* II. Epiſcopum & *Wilhelmum* Comi-
1204. tem Hollandiæ, quæ eſt anni 1204. Apud Buchelium ad Hedam p. 189. ubi eſt *Elias Decanus S. Petri. Otto de Hollandia* tertius ejus nominis Epiſcopus, recognovit anno 1245. Chartam *Theodorici* Epiſcopi prædeceſſoris ſui (non immediati) in qua legitur *Helias Decanus.* V. Analect. tom. 6. p. 133. Eſt fundatio ſive erectio Parochiæ de *Brugdamme* in Inſula Zelandiæ Walacria, quam etiam jure ſuo poſt *Theodorici* mor-
1205. tem confirmavit anno 1205. *Otto* Præpoſitus majoris Eccleſiæ per Chartam pariter eodem loco recognitam ab *Ottone* Epiſcopo, cui ſubſcripſit *Wigherus Decanus S. Petri.* An duo Decani ejuſdem Eccleſiæ *Helias* & *Wigherus* eodem tempore? *Wigherum* ſupra Præpoſitum habemus circa eadem tempora. Errores non ſemel occurrunt in vetuſtis Chartis. Videtur huic ineſſe unus. Nam *Otto* Præpoſitus, in Charta quæ præ manibus eſt anni, uti notatur, 1205. *Theodoricum bonæ memoriæ epiſcopum Trajectenſem* vocat, qui tamen non obiit niſi anno 1210. Nonis Novembribus V. Bockenbergium in Catalago.

Dra-

Drakenburgius quid ſimile obſervavit, tamen *Wigerum* inter Decanos collocavit. Cui bono?

VIII. Hugo Decanus S. Petri haud dubie, ſed an Decanus fuerit anno 1220. haud facile dixerim: eadem enim Charta, cui ſubſcripſit, habet annum 1220. apud Matth. de Nobil. p. 798. & annum 1228. apud Buchel. ad Hedam p. 203. Quidquid ſit, exſtant Chartæ duæ *Ottonis de Lippia*, ejus nominis tertii Epiſcopi Ultrajectini, quibus utriſque ſubſcripſit *Hugo Decanus S. Petri* annis 1226. & 1227. apud Matth. in not. ad Anonym. de Reb. Ultraj. p. 160. 161. An. 1226. 1227.

IX. Everardus & Gerhardus an unus & idem eſt, an diverſi ſunt? Anni ſuadent pronuntiandum unum eſſe eumdemque. In Charta *Ottonis* Epiſcopi de anno 1240. eſt *Everardus S. Petri Decanus* apud Lindebornium Hiſt. Epiſc. Daventr. p. 31. In Charta *Adelheidis* Abbatiſſæ Altenenſis ſeu Eltenſis in Geldria, eſt *Gerhardus præpoſitus Tilenſis & Decanus S. Petri Trajectenſis* quæ eſt anni 1241. apud Matth. Analect. tom. 6. p. 61. 62. & apud Heuſſenium Hiſt. Epiſc. Ultr. p. 294. 295. Eamdem hujus Abbatiſſæ Chartam noviſſime dedit Gerardus Dumbar Daventr. ſac. & prof. tom. 1. p. 466. ubi ſic lego: *Teſtes quoque præſentes Everhardus præpoſitus Tylenſis & Decanus S. Petri.* Hæc ſi vidiſſet Drakenburgius, unum tantum produxiſſet Decanum, nam & in append. Catalogi ſui notatur *Everardus* ad an. 1260. An. 1240. 1241. 1260.

X. Stephanus Decanus S. Petri, anno 1271. arbiter electus fuit cum duobus aliis prælatis, in controverſia inter *Joannem* Epiſcopum & eccleſiam, mota ſuper teſtamento *Henrici* Epiſcopi, ex Charta quæ eſt apud A. Matth. de Nobil. p. 270. Subſcripſit anno ſequenti Chartæ *Johannis* Epiſcopi concedentis oppido *Vianenſi* publicas duas nundinas quotannis, quamlibet octo dierum. Charta eſt de Jur. Glad. p. 375. accepta, ut opinor, a Buchelio ad Hedam p. 224. An. 1271.

XI. Giſelbertus Decanus S. Petri occurrit in ſubſcriptione cujusdam Chartæ *Johannis* electi, datæ anno 1282. quam recognovit anno 1649. *Guilielmus* primus Orangiæ Princeps, apud Matth. de Nobil. p. 1065. 1066. Occurrit etiam ad an. 1291. V. ſup. in *Stephano* Præpoſito. Subſcripſit anno 1294. Chartæ *Joannis* Epiſcopi, ſtatuentis villam nuncupa- An. 1282. 1291.

 tam

tam *Gheyne* liberum oppidum eſſe, quam anno 1641. recogno-
vit *Fredericus Henricus* Princeps Orangiæ apud Matth. ibid.
p. 828. & ſeqq. Anno 1297. adſtitit Epiſcopo *Guilielmo de Berthout*, e dominis Mechlinienſibus, cum ſtolis & juramento ſibi a *Joanne* Comite Hollandiæ delato, affirmanti, quod oppida *Muyden*, *Weſop* & alia bona juxta *Vechtam* fluvium, ad ſe & ad Eccleſiam Ultrajectinam de jure pertinerent. Charta ex archivis Hollandicis accepta eſt apud A. Matth. de Jur. Glad. p. 422. 423.

An. XII. GERARDUS Decanus ex Heuſſenii fide adducitur.
1310. Hoc enim nomen fuiſſe ait Decani innominati in diplomate
1315. erectionis capellæ de *Tricht* in parochiam, quod incipit his
verbis: *Univerſis ad quos præſentes litteræ pervenerint, nos Decanus Eccleſiæ S. Petri Trajectenſis, Vicarius generalis reverendi patris ac Domini Guidonis Dei gratia Epiſcopi Trajectenſis per civitatem & diœceſim Trajectenſem, ipſo in remotis agente, notum facimus in his ſcriptis &c.* Charta præfert annum 1315. in Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 569. 570. Epiſcopus de quo hic, eſt *Guido de Hannonia Joannis* II. Hollandiæ Comitis frater, qui ut ditionem ſuam omni ære alieno liberaret, diu vixit in Gallia. V. Bockenberg. in Catalogo. In append. Cat. Drak. additur *Gerardo* cognomen DE UMMES, & ſcribitur fuiſſe Decanus anno 1310. Occurrit mihi *Gerardus Decanus S. Petri*, non adjecto cognomine, ad an. 1313. in Charta ceſſionis decimarum, quas Capitulum S. Petri poſſidebat in Zelandia, ac mediante permutatione & confirmatione apoſtolica, transfert in *Guilielmum* Comitem Hollandiæ, Zelandiæ & Hanno-niæ ejuſque Succeſſores, quæ eſt apud Miræum in nova Edit. Diplom. tom. 3. pag. 429. 430.

An. XIII. JACOBUS Decanus anno 1318. In append. cit.
1318. XIV. HENRICUS Decanus anno 1320. In eadem append.
An. 1320. XV. JOANNES DE TURNOET Decanus, quamvis de
An. ejus actis nihil occurrat. Anno 1326. in Vigilia Pentecoſtes
1326. erat *Decanus electus*, ut habet Charta apud Matth. Analect.
1336. tom. 4. p. 420. 421. Necrologium S. Salvatoris ad prid. Kal.
Junias ita habet: *Ann.* CIↃ. CCCXXXVI. *obiit* Johannes *dictus de* Turnoet *decanus Eccleſiæ S. Petri Trajectenſis.* Et ad XI. Kal. Febr. *Vincentii martyris, duplex feſtum hoc inſtituit* Johan-

nes

nes *de* Tornoet *Decanus S. Petri*, *noſter concanonicus*. Denique prid. Kal. Febr. *Memoria* Johannis *de* Tornoyt *Decani S. Petri concanonici noſtri.*

XVI. Joannes Romaer, de quo ſimiliter nihil nar- An.
ravero. Necrolog. S. Salvatoris ad III. Kal. Majas *Anno* 1340.
CIↃ. CCC. XL. *obiit* Joannes *dictus* Romaer *Decanus S. Petri.*

XVII. Tielmannus Oem Dordraco-batavus, filius An.
Joannis, qui erat prætor & quæſtor generalis Hollandiæ Meridionalis, & dominus in *Barendrecht*. Anno 1343. interfuit 1343.
famoſæ deciſioni contra *Joannem Arckelium* Epiſcopum, de qua vide in *Joanne de Bronckhorſt* Præpoſito S. Salvatoris, ex A. Matthæi tractatu de Nobil. p. 615. 616. ubi legitur: *Tielmannus Joannis* Decanus S. Petri, more videlicet illorum temporum, quibus (præcipue in Hollandia) loco cognominis familiaris, adjiciebant nomen patris. Et quandoque inverſo ordine prout in Charta *Theodorici de Waſſenaer* Borchgravii Leidenſis anni 1368. ubi eſt *Joannes Tielemanni* Decanus S. Petri Trajecti, pag. 15. ſi bene numeres dedicationis, quam A. Matthæus præfixit Chronico Ducum Brabantiæ a ſe vulgato anno 1707. Matthæus Balen in deſcriptione oppidi Dordraceni pag. 1171. ſub ſtemmate familiæ *Oem* meminit de *Tielmanno Dei gratia decano S. Petri Trajecti, ut patet,* inquit, *ex variis inveſtituris feudorum quas conceſſit ann.* 1345. 1345.
1351. 1364. Unam habes, nimirum anni 1345. apud Matth. 1351.
de Jur. Glad. pag. 123. 124. Obiit *Tielmannus* Decanus, jux- 1364.
ta Mathiam Balen anno 1368. 1368.

Auctor appendicis Drakenburgiani Catalogi, jubet *Tilemanno* Succeſſorem dari *Robertum de Drongelen ad ann.* 1355. & 1360. Non placet.

XVIII. Wilhelmus de Zyll. apud Heuſſenium in An.
Catalogo, ubi adſcribit annum 1380. Addo ex Necrologio 1380.
S. Salvatoris: *VII. Kal.* (Novembr.) *Obiit* Wilhelmus *decanus S. Petri ſubdiaconus, canonicus noſter.*

Huic ſubjecit Drakenburgius *Henricum Giſelberti* Decanum. Cauſam non video.

XIX. Arnoldus Pot alias de Lange Decanus S. An.
Petri anno 1386. (append. Cat. Drakenb.) & anno 1388. in 1386.
tom. 3. Edict. Ultraj. p. 33. Proditur ab Heuſſenio extra 1393.
Catalogum. Ita enim ſcribit in Hiſt. Epiſc. Ultr. p. 531.

col.

col. 2. in initio. *Epiſcopo Trajectenſi Florentio de Wevelichove mortuo*, Arnoldus Pot *decanus S. Petri & Arnoldus Tricht præpoſitus S. Joannis fuerunt recepti in Officiales & Vicarios cum*
1394. *eorum juramentis, anno Domini* 1394. *cum eleganti ſigillo.* Juxta Bockenbergium obiit *Florentius* Epiſcopus an. 1393. Prid. Non. April. Proinde anno 1393. jam erat Decanus. Hoc exemplum Vicariorum generalium Sede vacante, apponendum eſt in *Specimine erudit. Broeders.* ut, Heuſſenio etiam docente, pateat Decanum Majoris non fuiſſe Vicarium vi officii, ut ſomniarant Erckelius & Broederſenius. Ceterum
1400. *Arnoldus* etiam anno 1400. erat Decanus S. Petri, uti eſt in Charta tranſlationis altæ juriſdictionis oppidi & territorii de *Ameyda* de qua jam ſæpius ex A. Matth. præf. ad lib. 3. de
1406. Nobil. p. 22. Quinimo occurrit anno 1406. in famoſo *Frederici de Blanckenheim* Epiſcopi juramento cum ſeptem ſtolis ſolemniter præſtito in tract. de Jur. Glad. p. 182. & ſeqq.
1414. Obiit 28. Martii ann. 1414. Ex Brockio Drakenb.

An. 1418. XX. Henricus Houberch fuerit Decanus S. Petri uſque ad an. 1418. quando dignitatem dimiſit a ſe, ut eſt in Append. Catal. Drakenb. Forte idem qui hoc tempore erat Decanus S. Salvatoris. Vide ſupra.

An. 1418. XXI. Petrus de Mera Decanus S. Petri anno 1418. ſecundum opinionem Buchelii ad Hedam p. 288. ubi dubitat, an hic *Petrus* fuerit Decanus ille nepos *Bernardi Præys* rectoris civitatis Ultrajectinæ; de quo *Bernardo* ſcribit Heda p. 284. quod, congregatis quinque capitulis ad eligendum Epiſcopum poſt obitum *Frederici de Blanckenheim*, per impetum pulſans fores capituli, comminatus ſit Decano nepoti ſuo mortem, niſi eligeret *Rudolphum Diepholdium*. Porro obiit *Fredericus* anno 1423. quo tempore *Petrus* erat ſine du-
1425. bio Decanus, nam anno 1425. menſis Julii die 20. cum aliis prælatis & canonicis Ultrajectinis decrevit poſſeſſionem epiſcopatus dandam eſſe *Suedero Culemburgico* electo & confirmato, cujus poſſeſſionis tabulæ ſunt apud A. Matth. Analect. tom. 9. a p. 284.

An. 1426. XXII. Joannes *de* Galencoep ſucceſſit *Petro de Mera*, uti colligo ex Charta *Suederi Culemburgici* data anno 1426. menſis Augufti die 26. quam ſignavit *Petrus* apud Matth. de Nobil. p. 825. De ejus actibus occurrit nihil, nec quam-

dia

diu præfuerit. Etiam ignoratur annnus obitus. Diem & menſem habe ex Necrologio domus Carthuſienſium quæ fuit in Suburbanis Ultrajectinis: Aprilis. *XV. Kal. Maji. Obiit* Mr. Johannes *de* Galencop, *doctor ſacræ theologiæ, decanus eccleſiæ S. Petri Trajectenſis.* Apud Matth. Fund. & Fata p. 421. Neſcio unde Heuſſenius divinare potuerit annum obitus, quem in Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 537. col. 1. in fin. ſignat ad 1512. citans Necrologum ſupradictum qui prorſus tacet, & hominem facit plus quam centenarium. Brockius mortuum ſcribit anno 1428. & dicit fuiſſe Decanum anno 1428.
1423. quod ultimum non admitto, quamvis auctor appendicis Drakenburgiani idem ſcribat.

XXIII. Joannes Gerardus Epiſcopus Gebeldenſis, An.
& in pontificalibus vicarius generalis *Suederi Culemburgici* 1430.
Electi Ultrajectini, ab Heuſſenio extra Catalogum, ſtatuitur fuiſſe Decanus S. Petri. Conſecravit anno 1430. Monaſterium & oratorium Sanctimonialium Canonicarum regularium ordinis S. Auguſtini, erectum & fundatum in parochia de *Oeſtgeeſt* prope Leydis, quod Monaſterium *S. Mariæ ad lacum* appellari voluit. V. Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 531. col. 2. & Bat. Sacr. part. 2. p. 347.

XXIV. Arnoldus *van* Dorp Decanus anno 1433. Ap- An.
pend. Catal. Drakenb. 1433.

XXV. Petrus Zuermont *de* Hindersteyn anno An.
1455. interfuit tamquam Decanus S. Petri electioni *Giſberti* 1455.
Brederodii. Vide A. Matth. Analect. tom. 2. p. 432. Anno
1456. fœdus iniit pro *Brederodio*, & hic cum illo aliiſque, con- 1456.
tra *Davidem Burgundum* & *Philippum* Ducem. Charta eſt ibid.
a pag. 478. Anno 1458. *Petrus* tamquam procurator quinque 1458.
Capitulorum accepit a commiſſario & delegato Cardinalis *Cuſani* abſolutionis beneficium ad cautelam, a ſuſpenſionis, excommunicationis, & interdicti ſententiis & pœnis, quas contraxerant prælati & Capitula ob non ſolutum grave tributum impoſitum ad uſum *Walravii de Meurſa* Electi Ultrajectini. V. Chartam Analect. tom. 9. a p. 420. Necrologus S. Petri ita habet: *Anno* 1467. *obiit venerabilis vir dominus* Petrus Zuermont *de* Heyndersteyn *quondam decanus hujus eccleſiæ.* Diem obitus notavit Necrologus Monaſterii Vallis B. Mariæ ordinis Ciſtercienſis: *IX. Kal.* (Decembr.) *obiit* Petrus Zuer-

 mont

mont *decanus S. Petri qui contulit X. ſcuta Burgundiæ ſemel.*

An. 1474. XXVI. Hermannus *de* Reno. Subſcripſit anno 1474. cuidam tranſactioni ſolemni, inter Præpoſitum ex una, & Decanum & Capitulum S. Joannis ex altera, partibus, initæ, quam dedit A. Matth. de Nobil. a pag. 444. Occurrit etiam
1481. ad annum 1481. in annalibus patrio ſermone conſcriptis rerum in Hollandia & diœceſi Ultrajectina geſtarum anno jam dicto & duobus ſequentibus, quos annales incerti auctoris vulgavit A. Matth. Analect. tomo 2. ubi vide pag. 6.. Anno
1482. 1482. flagrante bello inter urbem Ultrajectinam & *Davidem* Epiſcopum, cum quinque eccleſiæ, quantum poſſent conferrent in uſum belli, collata fuerunt ab eccleſia & capitulo S. Petri monilia, vaſa aurea, & argentea, quorum inventarium habet A. Matth. Fund. & Fata p. 115. quod ſignavit *Hermannus* de *Reno* Decanus. Heuſſenius in Catalogo Decanorum S. Petri, tribuit huic noſtro annum 1488.

An. 1492. 1496. XXVII. Stephanus *de* Reumeler fuit Decanus S. Petri anno 1492. ex Brockii MS. & anno 1496. ex Charta electionis *Frederici* Badenſis, in qua notatur illum cum aliis aliquot abfuiſſe ab electione. V. A. Matthæi Analect. tom. 4. p. 507. Fuit etiam Præpoſitus S. Joannis, & obiit 21. Sept. 1504.

An. 1512. XXVIII. Gerardus *de* Turri, alias *Vander Toern*, Zwollæ natus in Tranſiſalania, Decanus fuit anno 1512. ut eſt in annalibus vernaculis *Henricæ ab Erp* Abbatiſſæ apud
1517. Matth. Analect. tom. 1. p. 146. Item anno 1517. ut eſt in inſtrumento admiſſionis *Philippi de Burgundia* Electi & confirmati Trajectenſis, ad eccleſiam Trajectenſem & illius regimen & adminiſtrationem, quod eſt ibid. p. 282. Legi in indiculo MS. confratrum Sodalitii B. M. V. in eccleſia parochiali, poſtea cathedrali, Harlemenſi, aſſervato in collegio B. Mariæ Lovanii, quod eſt diœceſis Harlemenſis ſeminarium, verba ſequentia, p. 3. *Mgr. Gerhardus de Turri doctor legum, decanus ad Sanctum Petrum in Trajecto anno MCCCC. LXXXV.* ad latus manu recentiori ſcriptum erat: *Obiit anno*
1521. *MCCCCC. XXI.* Hæc non concordant cum ſuperiore chronologia: Sed hæc ita accipio, ut anno 1485. nomen dederit ſodalitio, ejusque regiſtro inſcripſerit nomen ipſe ſuum, uti fit, poſtea factus Decanus S. Petri, alius adjunxerit dignitatis

tis

tis titulum, non adſcripto ejus acceptæ anno. Heuſſenius dedit epitaphium *Gerardi*, in quo titulum Decani fruſtra quæras. Eſt autem his verbis exaratum: *Anno Dn̄i M. V^C. XXI. Obiit venerabilis vir Mgr̄.* Gerardus de Turn, *utriuſque juris doctor, qui fundavit in altari* trium Regum, *miſſam quotidianam per chori Socios ſub pulſu* primarum *dicendam. Hanc ſi quis neglexerit pro pœna duplum quantum percipere debuiſſet, fabricæ perſolvere tenebitur. Unde neglecta recuperet. Cujus anima & omnium fidel. requieſcat in pace. Amen. Dedicatio prima Junii.*

XXIX. Georgius *de* Solmis Decanus fuit anno 1524. uti colligo ex quinque Capitulorum libello apud *Clementem VII.* oblato pro confirmatione *Henrici Bavari* Electi Ultrajectini poſt mortem *Philippi Burgundi*, qui libellus quamvis ſine anno & die a Matthæo datus ſit in not. ad Anonym. de Reb. Ultraj. p. 121. 122. certe eſt illius anni, quo obiit *Philippus* 7 Idus Aprilis. Idem *Georgius* eodem anno ſignavit Chartam quamdam apud Heuſſen. Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 79. Et ſignavit eodem anno 1524. Chartam vicariorum & Chori-ſociorum S. Petri apud Matth. Fund. & Fata p. 115. Anno 1528. invadente urbem *Henrico Bavaro*, *Georgius* captivus abductus fuit, ut eſt apud Hortenſium lib. 7. p. mihi 158. 160. Succeſſit ei tantiſper in decanatum, qui ſequitur An. 1524. 1528.

XXX. Fredericus Schenck *a* Tautenburch. Decanus fuit anno 1528. uti eſt in tabulis tranſlationis temporalitatis ditionis Ultrajectinæ in *Carolum* V. Cæſarem, quæ ſunt de anno jam dicto, & die 21. Octobris, apud Matth. de Nobil. p. 858. & ſeqq. apud Heuſſenium in Bat. ſac. part. 2. p. 241. & in MS. quod habeo ex collegio B. Mariæ Lovanii cui titulus: *Tractatus habiti ſuper tranſlatione patriæ Trajectenſis, quantum ad temporalitatem in Cæſaream Majeſtatem, ex Muſæo Gisberti Lappii a Waveren J. C. Ultrajectini* in *Inſtrum.* XIII. In alio *Inſtrumento*, quod continet formulas fidei juratæ inter procuratorem Cæſaris, & quinque Capitula viciſſim, quod eſt ejusdem anni, ſed diei 13. Novembris, rurſus occurrit *Fredericus Schenck decanus S. Petri. Fredericus* poſtea fuit Præpoſitus S. Petri, & ut opinor anno proxime ſecuto, nempe 1529. quia *Georgius de Solmis* illo anno altera vice fuit Decanus. An. 1528.

An. XXXI. Georgius *a* Solmis altera vice Decanus S. Petri: Rebus nimirum cum *Henrico Bavaro* epiſcopatum abdicante compoſitis, dignitatem decanalem receperit, *Frederico Schenckio* ad præpoſituram promoto, uti conjicio. Certe
1529. *Georgius* die 21. Januarii anno 1529. erat Decanus S. Petri, uti perſpicue lego in Mandato prælatorum & canonicorum quinque eccleſiarum Trajectenſium ad petendam confirmationem a Papa ſuper tranſlatione temporalitatis, & ſuper nominatione Epiſcopi & Decanorum Trajectenſium *Carolo* Cæſari tributis. Charta eſt in MS. ſup. cit. in *Inſtrumento* XV. Obitus ejus notatur in Necrologio S. Petri: *Anno* 1541. *menſis Auguſti die ſeptima obiit venerabilis & egregius vir, Dominus* Georgius Zolms *decanus & canonicus hujus eccleſiæ, pro cujus memoria duo* loot *argenti diſtribuuntur.*

An. XXXII. Jacobus Uten-Engh electus Decanus die 8.
1541. Auguſti 1541. (append. Drakenb.) anno 1561. die 6. menſis Novembris tamquam procurator *Nicolai a Nova terra*, cæpit poſſeſſionem epiſcopatus Harlemenſis & Abbatiæ monaſterii Egmondenſis ordinis S. Benedicti menſæ epiſcopali perpetuo unitæ. Heuſſenius inſtrumentum captæ poſſeſſionis dedit in Bat. ſac. part. 2. p. 292. Revius in Hiſt. Davent.
1563. de *Jacobo* meminit ad ann. 1563. lib. 3. p. 341. Anno 1565.
1565. ſubſcripſit Concilio Provinciali Ultrajectino ſub *Frederico Schenckio* Archiepiſcopo. Bat. ſac. part. 2. p. 26. Etiam Winſemius illum loquitur lib. 1. p. 21. edit. in fol. Porro Necrologus S. Petri ita ſcribit: *Anno Dni* 1569. *die* 14. * *Obiit honorabilis vir atque honorandus dominus* Jocobus Utenenge, *utriuſque juris licentiatus, Decanus, & Canonicus hujus eccleſiæ. Ad cujus memoriam dantur dominis X. libræ, & choriſociis quinque libræ, cujus animæ propitietur Deus.*

An. XXXIII. Guilielmus Vuesels. Succeſſit *Jacobo Uten-*
1570. *Engio* ad nominationem Regis electus, rejecto *Jacobo Verhaar* a Canonicis aſſumpto (append. Catal. Drak.) & occurrit apud Borrium de Orig. Belg. Tumult. lib. 5. mihi p. 237. ubi anno 1570. a quinque Capitulis in Hiſpaniam ablegatur ad *Philippum* Regem contra Ducem Albanum, a cujus ſententia contra Ordines Ultrajectenſes lata, appellaverant. Matth.

plura

* Supple: *Maji.* ex append. Catal. Drakenb.

plura dicit, in tract. de Nobil. p. 649. nempe, *quod magno animo . . . Stupentibus ceteris, Albano ipſi, cum a Sacris rediret, quod conculcaret privilegia & diœceſim univerſam ad exitium vocaret, diem dixerit Bruxellis, ut ſe ſiſteret Madriti apud regium ſenatum redditurus rationes*; & citat Martin. Schoock de bon. vulgo eccleſ. ſect. 3. cap. 4. Die 6. Januarii 1593. 1593. *Vueſelius* fit Conſiliarius eccleſiaſticus in magno ſenatu Mechlinienſi. Erat quoque Canonicus eccleſiæ Cathedralis Antverpienſis. V. Supplementum Butkens tom. 2. p. 317. *Jo. Franc. Foppens habet in adverſariis ſuis notatum, quod *Guilelmus Vueſelius* deceſſerit Bruxellis. 23. Febr. 1614.

XXXIV. Joannes Bogaart a Drakenburgio adnumeratur Decanis S. Petri auctore Borrio. Electus fuit 22. Julii 1580. (app. Drakenb.) Oportet proinde ut *Vueſelio* vivente ſucceſſerit. Nuſquam mihi occurrit: ſed ſi anno 1586. in exilium miſſus fuerit cum *Buchone a Montzima* Præpoſito S. Joannis, *Lamberto vander Burchio* Decano B. Mariæ, aliiſque, plane fuerit Catholicus. Obiit 12. Februarii 1592. *append. cit.* V. Borrium lib. 21. fol. mihi 38. An. 1580. 1586.

XXXV. Wilgerus *a* Moerendael electus 13. Februarii 1592. Append. cit. Fuit Vicarius generalis *Sasboldi Voſmeri* Archiepiſcopi Philippenſis, & primi Vicarii Apoſtolici Fœderati Belgii, everſa jam Sede Ultrajectinâ, uti pluribus oſtendi in *Hiſtoria eccleſiæ Ultrajectinæ* contra Heuſſenium, Erckelium, aliosque Ultrajectinos ſchiſmaticos. Obiit Wilgerus 30. Junii. 1619. 1592.

PRÆPOSITI ECCLESIÆ
S. JOANNIS.

An. I. ANſelmus fuit Præpoſitus S. Joannis Bap-
1085. tiſtæ anno 1085. ut patet ex Charta *Conradi*
Epiſcopi, quam ex recenſione *Davidis de Bur-*
gundia dedit A. Matth. de Nobil. p. 435.
Eamdem dederat Buchelius ad Hedam p. 140.
ſed multis locis corruptam, ut cuivis hanc cum illa confe-
renti patebit. In A. Matthæi Catalogo tribuitur etiam an-
1086. nus 1086. huic *Anſelmo*.

An. II. Godebaldus occurrit in Charta *Conradi* Trajecten-
1093. ſis Epiſcopi XXII. quæ eſt anni 1093. quam dedit Gerardus
1105. Dumbar Daventr. ſac. & prof. tom. 1. pag. 342. Subſcripſit
Chartæ *Burchardi* Epiſcopi de anno 1105. quæ eſt apud Bu-
chel. ad Hedam p. 146. & apud Heuſſen. Hiſt. Epiſc. Ultraj.
p. 329. A. Matthæus illam integram dedit in tract. de Nobil.
p. 556. Acquiſiverat capitulo S. Joannis *curtim quæ ſita eſt in*
Boſinkem *cum ſuis appendiciis*, uti eſt in Charta anni 1176.
apud Matth. de Jur. Glad. p. 360. in qua dicitur: *dominus*
Godebaldus Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ in Trajecto præpoſitus
nomine & memoria dignus.

An. III. Adelricus Præpoſitus anno 1108. In append.
1108. Cat. Drakenb.

An. IV. Rodolphus anno 1118. Ibid.
1118. Heuſſenius *Godebaldo* ſubjunxit *Goswinum* ad ann. 1125. &
1128. ſed hi anni *Hermanni* ſunt & ipſe *Goswinus* ſeculo inte-
gro recentior eſt, ut etiam mox apparebit.

An. V. Harmannus Præpoſitus, Heuſſenio ignoratus, in-
1125. noteſcit ex Charta *Andreæ* Epiſcopi anni 1130. apud Buchel.
1130. ad Hedam p. 161. quæ ita incipit: *Sciant fideles &c. quo-*
niam ego Andreas *Trajectenſis Eccleſiæ Pontifex humillimus in-*
ter præpoſitum Harmannum & Canonicos Eccleſiæ B. Baptiſtæ
domini medius, caritate media, eccleſiam & curtim de Bueſichem
a manu præpoſiti ſuſcepi, & utrumque ipſo petente . . . . . in
augmentum præbendarum Canonicorum ſupra memoratæ eccleſiæ
pro ſalute mea pie in Chriſto donavi. Hæc Charta a Matthæo
datur

datur in tract. de Jur. Glad. ubi præfert annum 1131. In Charta *Godebaldi* Epiſcopi apud Matth. Analect. tom. 1. p. 137. eſt *Hermannus præpoſitus ad ſanctum Joannem*, ſed illa ibi refert annum 1225. quem errorem correxit in lib. Fund. & Fata p. 404. monens legendum annum 1125. Sed ſi hoc ita, prout non dubito, ob tempus epiſcopatus *Godebaldi*, numquid expungendus *Goſuinus* Præpoſitus, quem Heuſſenius interpoſuit?

VI. Raynaldus an. 1138. append. Cat. Drakenburg. An.
Heuſſenius in Catalogo ponit *Ançelmum* Præpoſitum ad an. 1138.
1139. Sed errat, & fuit indubie Decanus illo ipſo anno, ut infra patebit. Drakenburgius ex Matthæi Catalogo ſimiliter erravit.

VII. Arnoldus Præpoſitus etiam ab Heuſſenio prætermiſſus eſt. An.
Præfuit anno 1172. ex Charta *Godefridi Rhenenſis*, 1172.
Epiſcopi Ultrajectini XXVIII. quæ apud Matth. de Nobil. p. 525. ita habet: Ego Godefridus *voluntate Dei Trajectenſium antiſtes Advocatiam de prædiis Eccleſiæ S. Joannis pertinentibus . . . . quam* Henricus de Cuk *comes Trajectenſis diu ſibi magis arbitrio voluntatis quam aliquo titulo juris uſurpaverat....* Arnoldo *præpoſito & ſuis ſucceſſoribus Eccleſiæ prætaxatæ donando reſtitui. &c.*

VIII. Albertus Præpoſitus anno 1176. in Charta *Balduini de Hollandia* Præpoſiti S. Mariæ, fundationis anniverſarii ſui de quo jam ſæpe. V. A. Matthæum in not. ad Anon. An. 1176.
de Reb. Ultraj. p. 104. Subſcripſit anno 1178. Chartæ *Godefridi* Epiſcopi quæ eſt ibid. p. 114. Anno 1185. recepit uti 1178. 1185.
Præpoſitus nomine eccleſiæ ſuæ donationem quorumdam mancipiorum virorum ac mulierum. Charta eſt apud Matth. de Nobil. p. 953. & pag. ſeq. eſt alia Charta ſimilis donationis factæ anno 1186. Heuſſenius ſtatuit *Albertum* fuiſſe Præpoſitum anno etiam 1188. & eum ſecutus eſt Drakenburgius; ſed quam hic Chartam citat tamquam anni 1188. eam Matthæus monet eſſe anni dumtaxat 1178.

IX. Ghiselbertus Præpoſitus S. Joannis ſubſcripſit An.
anno 1208. Chartæ *Theodorici* Epiſcopi donantis Eccleſiæ B. 1208.
Mariæ quaſdam decimas novales, apud Matth. in not. ad Anonym. de Reb. Ultraj. p. 129. Idem illi annus ſtatuitur ab Heuſſenio. Ex Charta *Ottonis* III. de anno 1247. habetur

quod

quod hic *Giſelbertus* conſanguineus eſſet *Giſelberti* Decani S. Joannis de quo loco ſuo. V. Matth. de Nobil. p. 400. Dicitur obiiſſe eodem anno 1208. 10. Maji. *Liber memor. eccleſ. B. Mariæ* in append. Catal. Drakenb.

An. X. Goswinus *de* Amstelle Præpoſitus, frequentiſſime occurrit in veteribus Chartis. In Charta *Ottonis II.* quæ nunc annum 1200. nunc annum 1228. præfert. V. Buchel ad Hedam p. 203. & A. Matth. de Nobil. p. 798. &
1224. 1061. Anno 1224. ſubſcripſit Chartæ *Giſelberti de Amſtelle*
1226. militis, quæ eſt Analect. tom. 6. p. 56. Et annis 1226. &
1227. 1227. duabus Chartis ejuſdem *Ottonis*, quas habes in notis
1240. ad Anonym. de Reb. Ultr. p. 160. 161. Anno 1240. alteri Chartæ plus vice ſimplici citatæ pro capitulo Daventrienſi
1247. quæ eſt in Hiſt. Epiſc. Daventr. p. 31. Anno etiam 1247. Chartæ rurſus *Ottonis II.* apud Matth. de Nobil. p. 401. quo eodem anno vendidit (Epiſcopo & Decano conſentientibus) domum & aream clauſtralem ad præpoſituram pertinentem, fratribus minoribus Ordinis S. Franciſci, qui in ea ædificarunt eccleſiam. V. Matth. Fund. & Fata p. 244. Anno
1249. 1249. electus eſt Epiſcopus Ultrajectinus ut habet Beka pag. 83. & Heda pag. 213. non niſi biennium functus pontificatu, & inde depoſitus, quod dominatui & principatui non ſatis haberetur idoneus, ut notat Bockenbergius in Catalogo Epiſcoporum pag. 26. Heuſſenius ſcribit *Goswinum* obiiſſe anno 1292. quod Drakenburgio non apparet veriſimile, qui interim rationes ſuas in contrarium ſiluit.

Heuſſenius huic *Goswino* ſubjicit *Johannem de Amſtelle* 1288. Idem facit *Henricus van Ryn.* Scilicet grus ſemper gruem. Annus citatus haud dubie competit *Wilhelmo* qui ſequitur. Et hunc igitur *Johannem* expungo a Drakenburgio prudenter omiſſum.

An. XI. Wilhelmus de Amstelle Præpoſitus occurrit
1276. in Charta anni 1276. cujus exordium dedit A. Matth. de
1285. Nobil. p. 451. Item in Charta anni 1285. in qua agnoſcit ſe cum fratribus ſuis *Giſelberto* & *Arnoldo*, bis mille libras Hollandicas debere Comiti Hollandiæ, pro quibus plures dedit fidejuſſores, omnes illuſtres & præpotentes, ut inde colligas ipſummet virum illuſtrem & præpotentem fuiſſe. V. Matth. de Jur. Glad. p. 427. Eamdem Chartam vidit

Mathias

Mathias Balen in deſcriptione oppidi Dordraceni pag. 1112.
A. Matthæus loco jam dicto citat aliam Chartam anni 1288. quæ incipit his verbis: *Wilhelmus de Amſtelle Dei gratia præpoſitus Eccleſiæ S. Johannis in Trajecto.* Eodem anno *Reynoldus* Comes Gelriæ & Dux Limburgenſis, dato diplomate agnovit *Wilhelmum* ejuſque ſucceſſores, jus habere præſentandi ad eccleſiam utriuſque *Wageningæ.* Diploma dedit Heuſſenius Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 570. col. 2. Denique anno 1290. *Gerardus de Weſemale* miles & dominus oppidi Bergæ ad Zomam, dato pariter diplomate agnovit, ſe debere Decanis & capitulis S. Martini & S. Salvatoris quotannis quatuor marcas, ſex ſolidos, & octo denarios Colonienſes, cui diplomati ſigillum ſuum appendit *Wilhelmus de Amſtelle præpoſitus Eccleſiæ S. Joannis*; in nova editione Miræi tom. 1. p. 208. Obiit 25. Maji an. 1291. append. Catal. Drakenburg. 1288. 1290. 1291.

XII. Johannes Præpoſitus appoſuit anno 1294. ſigillum ſuum Chartæ *Joannis Ziricii*, ſecundi ejus nominis Epiſcopi, per quam villam nuncupatam *Ghcyne* liberum oppidum eſſe juſſit, apud Matth. de Nobil. p. 830. qui in Catalogo ei tribuit annum quoque 1292. *in craſtino S. Remigii.* An. 1292. 1294.

XIII. Nicolaus alias Colinus de Steen, habetur tamquam Præpoſitus in Catalogo A. Matthæi, ad annos notatos. Mihi primum occurrit, ſed non adjecto cognomine, in Charta ceſſionis decimarum capituli S. Petri, quas habebat in Zelandia, factæ an. 1313. *Guilelmo* Comiti Hollandiæ, Zelandiæ & Hannoniæ, in nova Coll. Diplomatum ad Miræum p. 429. Drakenburgius eum quoque recenſet, & in append. Catalogi ejus appellatur *Nicolaus van der Steen* vel *Steyn*, conſanguineus toparchæ Burani, & defunctus die 23. Novembr. ann. . . . . An. 1311. 1313. 1316. 1317.

XIV. Gerardus *de* Reden condidit teſtamentum anno 1318. *feria ſecunda poſt nativitatem beati Johannis Baptiſtæ*, per quod fundavit memoriam ſui ſingulis menſibus in dicta eccleſia faciendam, item anniverſarium obitus ſui diem, inſtituit *feſtum duplex*, in die beati *Vincentii*, mandans reliqua bona ſua in pios uſus converti ſolutis debitis & legatis. Exſtat teſtamentum apud A. Matth. in ſylloge Epiſt. Alciati aliorumque p. 516. & ejus fragmentum dederat in tract. de Nobil. An. 1318.

p. 398. Hunc Præpoſitum ignoravit Heuſſenius, quia abeſt a Catalogo Matthæi.

An. 1320. XV. JACOBUS DE LICHTENBERCH Præpoſitus, etiam Heuſſenio & Matthæo ignoratus, anno 1320. ad commendationem *Wilhelmi* Comitis Hannoniæ, a *Frederico de Zirick* ſecundo ejus nominis Epiſcopo Ultrajectino aſſumptus eſt in conſiliarium ſecretum, ut habet Charta apud Matth. Analect.

1122. tom. 5. p. 571. 572. Anno 1322. ſubſcripſit alteri Chartæ ejuſdem *Frederici*, cui eodem anno ſubſcripſiſſe dixi *Egidium Panſier* Decanum S. Salvatoris. Cognomen Drakenburgius non addidit, quia non invenit. Ego deſumpſi ex Buchelio ad Hedam p. 280. in ſtemmate Lichtenbergiorum, ubi habet *Jacobum præpoſitum D. Joannis*, qui fuit magnus pro-patruus *Jacobi de Lichtenberch* Præpoſiti S. Petri, ut colligas ibidem. Tempora tam apte conveniunt, ut non dubitaverim, huic *Jacobo* S. Joannis Præpoſito familiare *Lichtenbergiorum* nomen adſcribere: quamvis auctor append. Drakenburg. velit illum appellatum *Jacobum Gysbertum de Steyn*, Præpoſitum anno 1322. mortuum anno 1331. Hic nihil probat. Et quid de Buchelio fecero?

An. 1331. 1337. 1338. 1340. XVI. ARNOLDUS LOEFF *de* RUWEEL Præpoſitus apud Heuſſenium & Drakenburgium, ex Matthæi Catalogo ad annos 1331. 1338. Anno 1337. iniit *Arnoldus Loef* concordiam cum *Joanne* Diſthenſi, ejus nominis tertio Epiſcopo Ultrajectino, ſuper inſtitutione canonica omnium beneficiorum non regularium in Ooſtfriſia, uti adfert Heuſſenius ex codice *Joannis Roperti* canonici S. Petri, in Hiſt. Epiſc. Leovard. p. 33. 34. Epitaphium ejus adferunt Heuſſenius & Drakenburgius his verbis. ✠. *Anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo in die omnium Sanctorum quaſi hora prima deceſſit Arnoldus Loef de Ruweel hujus eccleſiæ præpoſitus, cujus anima requieſcat in pace. Amen.* Addit uterque: *Ita habebatur in lamina plumbea capulo ſuperimpoſita & nuper in ſepulchro reperta.* Ad quod tempus referas illud *nuper*. An ad annum 1719. cum ſcribebat Heuſſenius? Sed Matthæus in Catalogo adnotavit, annum & diem obitus eoſdem, jam anno 1704.

An. XVII. JOANNES SCAE VAN LOCHUM Præpoſitus ad

annum

annum 1341. apud Drakenburgium ex Matthæi Catalogo, 1341.
non occurrit mihi.

XVIII. Henricus van den Ryn ſic lego ubique, An.
quamvis Drakenburgius legat *van Ryn.* Occurrit, inquit, ex 1344.
Matthæi Catalogo ad annos 1344. 1346. 1357. 1363. Sic eſt.
Mihi occurrit ad annum 1360. in Charta ipſiusmet *Henrici*, 1360.
quæ eſt in Præf. ad Anonym. de Reb. Ultraj. * * * * 2. verſo.
Et ad annum 1361. in Joannis Bekæ Chronico auctiore apud 1361.
Matth. Analect. tom. 5. p. 253. ubi pace facta inter *Wilhelmum* Comitem Hollandiæ, & *Joannem Arckelium* Epiſcopum, *Henricus* Præpoſitus cum aliis captivis liber eſſe jubetur. Chronicon latinum *de Trajecto & ejus epiſcopatu* Analect. tom. 9. agit, ut opinor, de ſecunda ejuſdem *Wilhelmi* de Ultrajectinis victoria, quam ſecuta eſt concordia, cujus tabulas, ſine anno & die, attulit ibidem Matthæus pag. 197., per quas *Henrico* Præpoſito, ejuſque conſanguineis permittitur reditus in urbem. Obiit anno 1363. ut vult Matthæus, & 1363.
quidem die 6. Januarii, Heuſſenio adſtruente diem 6. Junii.

XIX. Petrus vande Velde anno 1363. apud Dra- An.
kenburgium & Heuſſenium. Anno 1364. die 29. Junii rece- 1363.
pit cum reliquis prælatis & canonicis juramentum procura- 1364.
toris *Joannis Vernenburgii* a Monaſterienſi ad Ultrajectinam per *Urbanum V.* tranſlati. Charta eſt apud A. Matth. Analect. tom. 9. a pag. 202. & die 8. Septembris, cum Epiſcopus conſuetum juramentum in perſona præſtaret, adfuit *magiſter Petrus vande Velde præpoſitus S. Joannis.* de Nobil. p. 787. quæ eſt eadem Charta in Analect. tom. 9. p. 224. ubi male præfert annum 1365. Eodem anno 1364. a *Joanne* jam Epiſcopo impetravit, ut per ejus territorium rapere ad carceres ſuos poſſet delinquentem quem prehendi juſſiſſet, habebat enim Præpoſitus S. Joannis jus gladii. Charta eſt apud Matth. de Jur. Glad. p. 589. Anno 1371. magnam partem habuit in 1371.
electione *Arnoldi de Horne* ſecundi ejus nominis Epiſcopi. V. Analect. tom. 9. p. 239. & ſeqq. Occurrit ad annum 1372. in Charta ipſius *Petri* ſe dicentis *Dei gratia præpoſitum S. Joannis Ultrajecti.* De Jur. Glad. p. 93. Anno 1378. videtur 1378.
Romæ litigaſſe contra Decanum S. Joannis, qui vocabatur & ipſe *Petrus*, & erat S. R. E. Cardinalis & Vicecancellarius, de quo infra inter Decanos. V. Matth. de Nobil. p. 630.

In Necrologio vallis B. M. prope Ultrajectum quod eſt apud Matth. Fund. & Fata p. 436. ita lego: Idib. Januar. *Dn.* Petrus *de* Velde *præpoſitus S. Joannis unam libram, unum calicem cum corporali, unum ornamentum, & duas imagines, unam crucifixi, & alteram Beatæ Mariæ de alabaſtro.* adde: *donavit.* Nec dies mortis apponitur nec annus. Drakenburgius teſtatur, in MS. Brockii notari, quod obierit 13. Januarii 1383.
1383. ut proin corrigendus ſit Simon van Leuwen, qui illum deceſſiſſe ſcribit an. 1353. Bat. Illuſtr. p. 1129.

An. 1383. XX. Arnoldus de Tricht alias Van Buren (append. Drakenb.) Præpoſitus factus anno 1383. ex Brockii MS. apud Drakenburgium, occurrit in Charta *Florentii*
1386. *de Wevelichoven* Epiſcopi quinquageſimi, quæ eſt anni 1386. apud Buchelium ad Hedam p. 264. Item in alia ejuſdem,
1389. anni 1389. Fund. & Fata p. 127. Anno 1392. conceſſit mo-
1392. naſterio S. Salvatoris in *valle floris* ordinis Carthuſienſis extra muros Trajectenſes, viginti jugera vici, vulgo dicti, *Bloemendaele*, in emphyteuſim, ad inædificandam eccleſiam. Ex Charta quam dedit Heuſſenius Hiſt. Epiſc. Ultr. p. 152. col. 1. Fuit officialis & vicarius generalis una cum *Arnoldo Pot* Decano S. Petri, vacante Sede per obitum *Florentii* præ-
1393. dicti, qui cum diem ultimum clauſerit anno 1393. prid. Non. April. neſcio quare Heuſſenius hunc Vicarium faciat anno tantum 1394. in Hiſt. cit. p. 531. col. 1. in fin. Præfuit an-
1401. nis 1401. & 1406. apud Matth. Fund. & Fata p. 153. Jura-
1406. vit etiam cum *Frederico de Blanckenheim*, adhibita ſeptem ſtolarum ceremonia, anno 1406. de Jur. Glad. p. 185. Quini-
1409. mo ſuperfuit annis 1409. & 1413. V. Rer. Amersf. ſcript. p.
1413. 235. & de Nobil. p. 349. Drakenburgius ex MS. Brockii
1422. notavit, quod abdicaverit dignitatem die 30. Auguſti 1422. & mortuus ſit anno 1426. Heuſſenius eum ſcribit obiiſſe 12. Febr. 1427. ex Matthæi ſcilicet Catalogo.

An. XXI. Theodorus *ſive* Theodoricus *de* Waſſenaer. Ita eum appellat Bockenbergius, & *animarum paſtorem Harlemi*, in hiſt Batavor. p. 151. Et ſe ipſum ita vocat, ut infra patebit. Erat filius natu tertius *Philippi* quarti domini de *Waſſenaer* & Burchgravii Leidenſis (cujus mater erat *Mechtildis Oem* domina de *Barendrecht*) & *Mariæ Egmontiæ* filiæ *Joannis* primi Egmondæ domini, & *Guidinæ*

de

de Amſtelle. Ita Bockenbergius & Drakenburgius. Habuit Canonicatum & præbendam in eccleſia Majori, vacantem per obitum *Gerardi Foeck*, idque die 10. Aprilis 1416. Eodem anno factus eſt Præpoſitus eccleſiæ collegiatæ S. Pancratii Leidæ; & anno 1422. die 30. Auguſti, reſignante *Arnoldo de* 1422.
Tricht, accepit Præpoſituram S. Joannis. Ita ex Brockii MS. Drakenburgius. Anno ſequenti interfuit electioni Vi- 1423.
carii generalis, Sede per obitum *Frederici de Blanckenheim* vacante, ex Charta apud Matth. Analect. tom. 9. a p. 268. & anno 1425. procuratorem *Suederi de Culemborgh* electi, ipſe 1425.
cum Canonicis S. Salvatoris, S. Petri, S. Joannis, & B. Mariæ, poſthabitis Canonicis Majoris, in poſſeſſionem epiſcopatus poni juſſit. Ibid. p. 284. 289. Anno ſtatim ſequenti rejecto *Suedero*, ab ejus citationibus appellavit ibid. p. 355. 1426.
Recenſet illum ad an. 1428. Heuſſenius in Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 494. quem neſcio auctorem an deinceps oporteat citare, qui eodem loco col. 1. ſomniat *Philippum Waſſenarium* Epiſcopum Ultrajectinum. Certum eſt familiam *Waſſenariam* nullum umquam antiſtitem eccleſiæ Ultrajectinæ dediſſe, & inter Epiſcopos unicum fuiſſe *Philippum, Philippi Burgundi* filium.

Theodoricus de Waſſenaer Præpoſitus occurrit ad an. 1437. 1437.
Analect. tom. 2. p. 502. & anno 1447. de Nobil. p. 848. Anno 1447.
1455. elegit cum prælatis & canonicis *Gisbertum Brederodium* Epiſcopum, ex tabulis electionis apud Matth. Analect. tom. 2. p. 432. Anno 1456. conceſſit Priori & fratribus conventus 1456.
Warmondani ordinis Ciſtercienſis, ut in loco de *Heemſtede* aliud monaſterium excitare poſſent. Chartam dedit Heuſſenius Hiſt. Epiſc. Ultr. p. 525. quæ ita incipit: *Nos Theodoricus de Waſſenaer ſedis Apoſtolicæ Prothonotarius, præpoſitus & archidiaconus Sancti Joannis Trajectenſis ac Curatus eccleſiæ parochialis oppidi de* Haerlem *Trajectenſis diœceſis* &c. Anno 1459. 1459.
fratribus ordinis B. M. V. de monte Carmel Harlemi, privilegium ſepeliendi in eccleſia ſua eos qui ſepulturam elegiſſent, conceſſit, tamquam Curatus Harlemienſis, quod attulit Heuſſ. in Hiſt. Epiſc. Harl. p. 32. Obiit anno 1465. die 19. 1465.
Martii, juxta *van Leuwen* Batav. illuſtr. p. 1149. Heuſſen. & Matthæum in catalogo, ubi tamen male exprimit annum 1461. Brochius apud Drakenburgium ponit diem 5. Martii. *Van Leuwen* ſcribit *Theodoricum* in eccleſia S. Joannis Ultra-

jecti ſepultum ſub elevato a terra lapide cum ſcutis gentilitiis.

An. 1465. XXII. Joannes Miles, id eſt *de* Ridder, vel *de* Ruyter, nobilis Geldrus, poſt obitum *Theodorici* anno 1465. Præpoſitus, in MS. Brockii apud Drakenburgium.
1466. Matthæus eum recenſet ad annum 1466. & ex eo Heuſſenius. Notat Drakenburgius, videri illum renuntiaſſe dignitati, cùm MS. Brockii ejus obitum notet ad 22 Februarii 1480. ante quod tempus & *Henricus Daisman* & *Joannes Nys* illam geſſerunt, ut ex ſequentibus patet. In appendice Drakenburgii dicitur, quod Præpoſituram amiſerit per ſententiam quam obtinuit qui ſequitur,

An. 1469. XXIII. Henricus Daisman in *Sixti* IV. PP. Brevi dato Nonis Decembris 1471. apud Matth. de Jur. Glad. p. 95. dicitur *præpoſitus dictæ eccleſiæ dum viveret præfati Joannis* (Nys de Borſſalia) *immediatus in dicta præpoſitura prædeceſſor.* Hunc igitur locum habere debet, quamvis Matthæo ignoratus. Brockius in MS. eum appellat *Henricum Daelmans*, & Romani Pontificis Camerarium ſecretum. Sic loqui malo ut intelligar. Si dixero: *a ſecretis cubiculis*, neſcio an benè; certe non idem dixero. Factus fuit Præpoſitus 3 Octobris 1469.
1471. & obiit anno 1471. Ex MS. cit. Drakenb. In append. dicitur quod anno 1466. ſententiam obtinuerit contra *Joannem militem*.

An. 1471. XXIV. Joannes Nys *de* Borssalia Præpoſitus menſe Octobri 1471. in append. Drakenb. anno 1473. in A.
1473. Matthæi catalogo. Anno 1474. tranſegit cum capitulo S. Joan-
1474. nis ſuper pluribus juribus, qua tranſactione, pro ſe & ſucceſſoribus ſuis acquiſivit jus gladii abſolute, & non ut mandatarius, qualem conſideraverat capitulum. Charta eſt de
1475. Nobil. p. 444. Anno ſequenti obtinuit Romæ hujus concordiæ confirmationem: delegatione data Decano S. Petri per *Sixtum* IV. PP. Apud Matth. de Jur. Glad. p. 95. *Arnoldus Heymricius* Decanus Xantenſis in epiſtola ad *Ludolphum de Veno* Decanum Majoris, ſcripta anno 1476. *Nyſſium* Præpoſitum laudat, dolens eum non adſcriptum ſecretiori Conſilio *Davidis de Burgundia* Epiſcopi Ultrajectini. Vide Gerhardi Dumbar Analect. tom. 1. p. 432. Heuſſenius in Hiſt. Epiſc.
1482. Leovard. p. 33. in fine ſcribit: *Vixit autem Nyſſius anno* 1482:

cui

cui ſucceſſit D. Stephanus Rumelaer. Eumdem illi annum tribuit Drakenburgius ex A. Matthæi Catalogo, ubi id non invenio. Obiit Romæ ineunte anno 1489. *Append. Cat. Drakenb.* Quod de ſucceſſore addit Heuſſenius, error eſt, quem deprehendiſſet, ſi proprium & antea editum catalogum conſuluiſſet, in quo inter *Nyſſium* & *Stephanum* tres Præpoſitos medios fecit. Sed ne illud quidem ſine errore craſſo, quem detego infra in *Carolo Perenotto* XXX. hujus eccleſiæ Præpoſito. 1489.

XXV. Wilhelmus Ellagranus vel *Calagrami* (append. Drak.) in catalogo Matthæi, Præpoſitus anno 1489. & quidem 10. Junii. *App. cit.* Is mihi nuſquam occurrit, nec invenitur in MS. Brockii. Drakenburgius Matthæo dandum cenſuit, ut locum haberet inter Præpoſitos. Idem per me licet, dum nihil obſtat. Obiit anno 1492. Append. cit. An. 1489.

XXVI. Gisbertus *de* Stoutenborch Juris utriusque Doctor, in append. Drakenb. anno 1492. at in catalogo Matthæi habetur Præpoſitus an. 1494. 1495. Anno 1496. ſupererat, ut patet ex Inſtrumento electionis *Frederici* Marchionis de *Baden* Epiſcopi Ultrajectini, a qua electione abfuit *Gisbertus* cum duodecim aliis. V. Matth. Analect. tom. 4. p. 507. An. 1492. 1494. 1495. 1496.

XXVII. Stephanus *de* Rumelaer Juris utriuſque Doctor antea Decanus S. Petri, Romæ cum eſſet præpoſituram accepit, qua viâ, incompertum. Ex urbe rediit Præpoſitus 17 Octobris 1496. Obiit 21 Septembris 1504. MS. Brockii apud Drakenburgium, & Matth. in Catalogo. In append. Drakenb. notatur ejus obitus ad an. 1505. An. 1496.

XXVIII. Joannes Ingenwinckel Præpoſitus fuit anno 1506. quum erexit Capellaniam in eccleſia de *Nydrecht*. Tabulæ ſunt in Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 214. In Catalogo Matthæi notatur ad annos 1509. & 1516. Contulit eccleſiam parochialem de *Almenum* partium Friſiæ, quæ poſtea diœceſis Leovardienſis, *Nicolao* presbytero, anno 1522. Hiſt. Epiſc. Leovard. p. 89. Præfuit annis 1524. 1525. 1528. Occurrit ad an. 1530. apud Matth. de Jur. Glad. p. 90. 210. Anno 1531. conſenſit, quamvis ægre, in mutationem juramenti ab Epiſcopis præſtari ſoliti, & a *Carolo* V. injunctam. An. 1506. 1509. 1516. 1522. 1531.

Apud

Apud A. Matth. de Nobil. p. 742. Anno 1534. 3. Martii ſupererat, prout patet ex Charta Curiæ Provincialis Ultrajectinæ, quæ ejus prætori facultatem facit reos apprehenſos, ad Præpoſiti carceres trahendi per territorium Cæſaris. De Jur. Glad. p. 588. Obiit Romæ 23 Julii 1535. ſepultus in templo nationis Germanicæ, quod dicitur *dell'anima* ut habet Heuſſenius Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 286. Conſentit Drakenb. ex MS. Brockii. In Catalogo Matthæi eſt mendum, dum dicitur obiiſſe anno 1543. Fuit ſimul Præpoſitus Embricenſis, Xantenſis, & S. Libuini Daventriæ, prout legimus ſupra ex Lappio in *Michaele Enckevortio* XXXIV. Præpoſito S. Salvatoris.

An. 1535. XXIX. Albertus Pighius Campenſis Tranſiſalanus, patricio genere ortus, vir multæ & variæ lectionis, ſcientiæque omnifariæ; legationes obiit Romam, Wormatiam & Ratisbonam; charus fuit Romanis pontificibus *Adriano VI. Clementi VII.* & *Paulo III.* a quo ultimo Præpoſitura S. Joannis, apud Apoſtolicam Sedem vacante, donatus fuit anno 1535. Ita Valerius Andreas in Biblioth. belg. p. 38. 39. conſentiente quoad annum proviſionis Brockio apud Drakenburgium. Non eſt proinde audiendus Heuſſenius qui in Hiſt. Epiſc. Ultraj. altera addit. quæ eſt poſt indices, ſcribit: *Datam poſſeſſionem præpoſituræ D. Alberto Pighio 24 Jan.* 1527. Hæc ille ex MS. neſcio cujus, *Gerardi Steenii*, quo infeliciter uſus quoque eſt *Broederſenius*, uti oſtendi in *Specimine eruditionis Broederſenianæ*. Ceterum non niſi anno 1535. præſtitit conſueta juramenta, quorum Inſtrumentum dedit

1538. Matth. de Nobil. p. 441. Anno 1538. mota contra ſe lite ſuper jure gladii in toparchiis ad Præpoſituram pertinentibus, cauſam ſuſtinuit in Supremo Senatu Mechlinienſi, eamque obtinuit contra fiſcum Ultrajectinum. Sententiam libellatam, ut loquimur, dedit Matth. de Jur. Glad. p. 62. & ſeqq. An-

1542. no 1542. jam diu vir magnus incommoda valetudine fuerat, & Cardinalis S. Crucis Roma miſſis litteris hortabatur eum, ut tam præpoſituram S. Joannis, quam cetera ſacerdotia ſua in ſuos nepotes transferri curaret, offerens operam ſuam apud Papam. Hanc epiſtolam edidit Simon Abbes Gabbema inter Clarorum Virorum Epiſtolas p. 36. quæ his litteris eſt ſubſignata: *M. Card^{lis}. S^{tæ} Crucis*; qui eſt *Marcellus Cervinus*

Cardi-

Cardinalis S. Crucis in Hieruſalem, Cardinalis *Roberti Bellarmini* avunculus, & qui anno 1555. ad Petri Cathedram aſſumptus, *Marcellus II.* dictus eſt. *Alberti Pighii* lucubrationes recenſet Valerius Andreas, quarum nonnullarum cenſuras vide in *Poſſevini* Apparatu Sacro. Juxta Valer. obiit VII. Kal. Jan. anni ineuntis 1543. quare Drakenb. male ex Valerio ſcripſit: 26. *Decembr.* Brockius apud Drakenburg. ponit 29. Decembris. In libro Edictor. Ultr. tom. 1. p. 280. col. 2. ponitur obiiſſe die 26. Decembris 1542. Sepultus eſt Ultrajecti in eccleſia S. Joannis cum elogio quod exhibet Valerius. Heuſ. in Hiſt. Epiſc. Daventr. p. 115. attulit aliud ex tabula etiam hodie pendente ad chorum, & auctore, ut ipſe aſſerit, *Jac. Latomo.* Eſt autem hujusmodi:

Ne turba tumulum, Viator, iſtum, ſed adſta reverenter, & ſaluta ſacrum cinerem viri Sacrati. Ille eſt PHIGHIUS *hoc loco ſepultus, Aures qui Batavas ita expolivit, ut dicas ſapere Atticos lepores. Quare tam bene dormiat, precare, Quam docte, nitideque & eleganter, Defendit Latiæ decus tiaræ, Et morem ſtatuit pium Sacrorum: Utro ut nomine debeant Latini Plus, illi addubitent; utroque certe Ingens promeritum viri fatentur.*

XXX. CAROLUS PERENOT *de* GRANVELLE Juris utriuſque Doctor, filius *Nicolai*, conſiliarii *Caroli* V. Cæſaris, & primi domini de *Granvelle*, ac frater germanus *Antonii Perenot de Granvelle* primo Atrebatenſis Epiſcopi, dein Mechlinienſis Archiepiſcopi, atque S. R. E. Cardinalis, *admittitur in poſſeſſionem præpoſituræ* 11 *Junii* 1543. inquit Heuſſenius ex MS. *Gerardi Steenii*, in Hiſt. Epiſc. Ultraj. addit. altera poſt indices p. 2. De *Caroli* familia & ſtirpe vide Butkens *Trophées de Brabant* nova edit. tom. 2. p. 249. Exſtat Charta *Caroli* Præpoſiti data 15 Decembris 1559. apud Heuſſen. Hiſt. Epiſc. Ultraj, p. 219. de reparatione aut reſtauratione eccleſiæ parochialis de *Thamen*, qui vicus erat dominium Præpoſituræ, quam reſignavit *Buchoni* a *Montzima* die 31 Julii, ut habet MS. Brockii apud Drakenb. vel 7 Octobris 1562. uti ſcribit in Catalogo ſuo A. Matthæus.

An. 1543. — 1559. — 1562.

De hac reſignatione conſtat ex epitaphio *Buchonis a Montzima* apud Matth. Fund. & Fata p. 124. & apud Heuſſen. in Bat. ſac. part. 2. p. 42. ubi *Carolus* Præpoſitus, appellatur *Baro de Favernay.* Butkens loco cit. illum vocat *Abba-*

tem de Favernay & recte. Eſt namque Abbatia ordinis S. Benedicti in Comitatu Burgundiæ, Dioceſis Veſontinæ. *Claudius de Boiſot* factus eſt Abbas anno 1524. & abbatiam tenuit viginti annis & quatuor. Succeſſorem habuit hunc *Carolum Perenottum de Granvelle* qui obiit. An. 1566. Hinc apertus fit error Heuſſenii, qui inter *Gisbertum de Stoutenborch* & *Stephanum de Rumelaer* medium locavit *Baronem Favernaii*, *Viglii Zuichemi ex ſorore nepotem*, nullo adſcripto tempore: quem diſtinxit a *Carolo Perenotto*, qui tamen eſt idem ille, qui in epitaphio *Baro de Favernay*; ſed qui non eſt *Viglii* e ſorore nepos (quid enim Burgundioni cum Friſio?). Verùm *Bucho a Montzima*, *Caroli* ſucceſſor, & ipſe Friſius, *Viglii Zuichemi* nepos fuit è ſorore. Ita ex epitaphio manifeſtum eſt & conſtat aliunde. Hunc errorem, jam detexerat Drakenburgius. *Henricus van Ryn*, in Hiſt. Epiſc. Ultraj. belgica tom. 2. p. 68. in fol. eumdem errorem admiſit, ſuperaddito alio, cum ſcribit *Bavonem* non *Baronem* Favernaii. Tanta eſt hujus interpretis fidelitas, ut auctoris ſui errores omnes exſcripſerit.

Carolus Perenottus etiam ad decanatum S. Donatiani Brugis nominatus fuit, eumque reſignavit bis, ut eſt apud Auctorem *comp. chronol. Epiſcoporum Brugenſium* pag. 86. Erat nempe Canonicus & theſaurarius dictæ Eccleſiæ, uti ſcribit Joann. Charpentier in Hiſt. Camerac. Tom. 1. pag. 456.

Subjiciunt Heuſſenius & Henricus van Ryn *Carolo Perenotto*, *Hermannum Ruyſch*, ſecuti calogum Matthæi. Sed hunc cum Drakenburgio rejiciendum cenſui, quòd nullum prorſus locum habere poſſit inter Præpoſitos, ſtante ſupradicta reſignatione, de qua dubitari non poteſt.

Chriſtophorus Butkens *Trophées de Brabant* tom. I. p. 261. novæ edit. in ſtemmate Hornenſi ſcribit *Philippum de Hornes* Dominum de *Geldrop* filium *Maximiliani* Domini de *Gaesbeke*, equitis aurei Velleris, & Barbaræ de *Montfort*, Præpoſitum fuiſſe S. Joannis Ultrajecti, non addito tempore. Sed is in nullo prorſus Catalogo legitur, & ſeculo XVI. quo is vixit, tam certa eſt ſeries & ſucceſſio Præpoſitorum, ut ei locus non ſit. Idem docet Simon van Leuwen Bat. illuſtr. p. 1022. nullis allatis probationibus, nec adnotato tempore.

An. 1562. XXXI. Bucho a Montzima Sacræ Theologiæ Doctor,

ctor, *Viglii Zuichemi* e ſorore nepos, anno 1562. Præpoſitus ex reſignatione *Caroli Perenotti*, mediante permutatione Canonica cum dignitate Theſaurarii Eccleſiæ Majoris. Ex Brockii MS. Drakenburg. Anno 1565. interfuit Concilio Provinciali Ultrajectino ſub *Frederico Schenckio* Archiepiſcopo, 1565.
eidemque ſubſcripſit: Bat. Sac. part. 2. p. 26. Die 1. Februarii 1567. præſtitit Regi *Philippo* fidelitatis juramentum in manibus *Hippoliti Perſyn* præſidis Curiæ Provincialis Ultrajectinæ, ſine præjudicio jurium præpoſituræ ſuæ, de quibus proteſtabatur: Vide Matth. de Jur. Glad. p. 67. Anno 1586. 1586.
ſuſpicioſiſſimo tempore *Bucho* Præpoſitus cum *Lamberto vander Burch* Decano B. Mariæ, ejuſque fratre *Adriano*, Curiæ graphiario, aliiſque primæ notæ Catholicis, citra proceſſum, & oblatis fruſtra querelis *Comiti Leyceſtriæ* Belgii pro *Elizabetha* Angliæ Regina gubernatori, urbe pulſus fuit: Vide Borrium de Origine Belg. Tumultuum lib. 21. p. 731. & Matth. de Jur. Glad. p. 615. In urbem rediit, incompertum quo tempore, & in eadem obiit, ſepultus in Eccleſia S. Joannis, ubi hodie etiam exſtat ejus epitaphium, quod verius panegyrim dixeris, & ex Matthæo Fund. & Fata p. 123. mutuatum hic addere viſum eſt:

Reverendo in Chriſto Patri ac Domino Dn. Buchoni a Montzima, artium ac S. Theologiæ doctori eximio, præcipuarum linguarum egregie perito ex quibus Hæbream in Lovanienſi Academia publice profeſſus eſt, cujus doctoratus celebritas magnificentiſſima fuit; nec talis a condita univerſitate ſimilis viſa. Nam decorarunt illam ſua præſentia epiſcopi quatuor, principes duo, Aurangiæ & Chimaji, Comites & barones multi inter quos doctiſſimus Comes Meurſiæ, Equites & nobiles, & ſtudioſi omnium facultatum quamplurimi. Miſſi ab Eccleſia Trajectenſi, Præpoſitus & Decanus Majoris, & S Salvatoris Reneſſe & Vander Burchius ex S. Joanne. Aderat & Legatus Gubernatricis Parmenſis Ducis cum toto privato conſilio, viris prudentibus & varia eruditione præclaris. Fuit & hujus S. Joannis Baptiſtæ præpoſitus & Archidiaconus, metropolitanus & S. Salvatoris & S. Joannis canonicus, liber dominus in Midrecht, Wilnis, Cudelſteert, Zevenhoven, Thamen, dominus in Achtienhoven, Blocklant, Uythoorn, quam præpoſituram obtinuerat ex reſignatione illuſtris baronis Favernay, Clariſſimi Juriſconſulti Dni Viglii

Zuichemi in Friſia ex ſorore nepos. Joannes a Reneſſe S, Joannis Decanus, quinque Eccleſiarum Trajectenſium ſenior Canonicus, dicti Dni præpoſiti in Eccleſiaſticis & temporalibus Vicarius & Officialis, atque ejus munificentia præpoſitura Goedelandiæ donatus, & ultimæ voluntatis executor, Dn. ac patrono ſuo B M. poſ. & gratitudinis ergo ad memor. & ornat. PP. C. Inter prandendum vir piiſſimus apoplexia tactus ſubito Spiritum Deo reddidit, maximo amicorum, collegarum egnorum omniumque
1594. *bonorum luctu & deſiderio VI. Februarii* 1594. *Traj. Vixit annos* LVIII. *menſes* XI. *dies:* . . . . Poſſedit quoque perſonatum de Wambeeck in diœceſi Mechlinienſi. Et 5. Decembr. 1564. factus eſt Scholaſticus Gandavenſis, quam dignitatem a ſe dimiſit. V. Sanderi Flandr. Illuſtr. tom. I. lib. 4. pag. 240. *** novæ edit.

XXXII. JOANNES DE RENESSE VANDER AA, filius *Adriani* (cujus mater fuit *Sophia van Aernhem*) & *Agnetis de Reneſſe van Wulven* (cujus mater erat *Gertrudis vander Haer*) factus eſt Præpoſitus S. Joannis die 8. Junii anno 1596. ſuccedens *Buchoni a Montzima*, quamvis a biennio defuncto, quod ita ſe haberent res turbulentæ & tempora. Vide Matth. de Jur. Glad. p. 99. & ſeqq. & Append. Catal. Drakenb. in tom. 1. Edictorum Ultraj. p. 755. col. 1. *Joannes* poſtea acquiſivit dominia de *Zuyleſteyn* & *Schonauwen*, & ſollicite diſtinguendus eſt a *Joanne de Reneſſe* Decano S. Joannis de quo infra. Anno 1633. præpoſituram reſignavit *Joanni Alberto* Comiti de Solms probantibus Ordinibus Ultrajectinis Matth. cit. Dubito an catholicus fuerit, aut ſi fuerit, an in fide perſtiterit, certe eximiam hanc præpoſituram ceſſit acatholico, a quo in filium translatâ, eo mortuo, mater vidua *Joannis Alberti*, ejus uſumfructum habuit quamdiu vixit, uſque ad 19. Junii 1706. Ita Drakenburgius, Matthæus, Heuſſenius &c. quæ nihil ad nos.

DECA-

DECANI ECCLESIÆ
S. JOANNIS.

DRakenburgius Heuſſenium ſecutus primum locum inter Decanos S. Joannis tribuit ignoto cuidam quem ſignant his litteris : *GS. anno* 1125. Ego probationes nullas invenio, & nuda Heuſſenii verba, tam ſæpe errantia, non ſequor. Quare primus ſit ex Append. Catalogi Drakenb.

I. WESELINUS. Anno 1081. An. 1081.

II. RABBOTUS. Anno 1118. 1118.

III. GERARDUS. Anno 1121. quem putat eſſe eum, qui in Catalogo ſignatur litteris, *GS. Joannis*, in Charta *Conradi* Cardinalis Portuenſis apud Buchel. ad Hedam p. 201. 1121.

IV. WATZO, Decanus. Anno 1131. ſubſcripſit Chartæ *Andreæ* Epiſcopi donantis capitulo S. Petri Ultrajecti Parochiam *Ulſen*, qui eſt Comitatus Benthemienſis pagus. Chartam dedit Lindebornius in Hiſt. Epiſc. Daventr. p. 152. col. 2. in edit. Heuſſenii. 1131.

V. ANCELMUS Decanus An. 1138. (*Append. Drakenb.*) Subſcripſit anno 1139. Chartæ *Andreæ* Epiſcopi, variæ donationis factæ Canonicis S. Salvatoris, quam dedit Buchelius ad Hedam p. 160. Anno 1145. ſubſcripſit Chartæ *Conradi* III. Romanorum Regis, per quam *Hardbertus* Epiſcopus, Comitatus de *Ooſtergou* & *Weſtergou*, pridem conceſſos, iterum de manu Regis recepit. Chartam protulit Heda ipſe p. 167. An. 1139.

VI. CONRADUS occurrit ad annum, 1155. in Charta *Hermanni* Epiſcopi apud Matth. de Jur. Glad. p. 119. 120. Anno 1164. ſubſcripſit Chartæ *Godefridi* Epiſcopi apud Matth. ad Anonym. de Reb. Ultraj. p. 99. Et anno 1169. Chartæ *Balduini de Hollandia* quæ eſt ibid. p. 103, Denique ſubſcripſit Chartæ *Godefridi* Epiſcopi ſine anno & die, ſed quæ eſſe poteſt anni 1170. apud Buchelium ad Hedam p. 175. 176. An. 1155. 1164. 1169.

An. 1176. VII. Gerardus. Subſcripſit Chartæ *Balduini de Hollandia* Præpoſiti B. Mariæ fundantis anniverſarium ſuum & fratris ſui *Franconis*, quæ præfert annum 1176. ſed potius
1178. eſt anni 1178. uti Matth. obſervat ad Anonym. de Reb. Ultraj. p. 104. & ejuſdem anni eſt Charta ibid. p. 114. cui pa-
1184. riter ſubſcripſit. Occurrit ad an. 1184. apud Matth. Analect. tom. 6. p. 59. 60. in Charta, quam inde deſumptam Heuſſenius inſeruit Hiſtoriæ Epiſc. Ultraj. p. 200. nulla habita Matthæo gratia. Tandem occurrit in duobus Chartis
1185. ann. 1185. & 1186. traditionis quorumdam mancipiorum,
1186. virorum ac mulierum Eccleſiæ S. Joannis factæ, de quibus jam aliquoties, & exſtant apud A. Matth. de Nobil. p. 953. 954.

An. 1196. VIII. Giselbertus anno 1169. Decanus S. Joannis, ſubſcripſit ttanſactioni initæ coram ſe & aliis arbitris inter Canonicos S. Mariæ & cives Trajectenſes, apud Matth. de
1200. Jur. Glad. p. 382. Occurrit ad an. 1200. in Charta *Theodorici* Epiſcopi apud Matth. ad Anonym. de Reb. Ultraj. p. 134. & in Charta alia ejuſdem Epiſcopi, ejuſdem anni in Hiſt. Epiſc. Daventr. p. 187.

An. 1204. IX. Gysbertus Decanus ſubſcripſit anno 1204. ſolemni compoſitioni coram altari B. Martini initæ inter *Theodoricum* II. Epiſcopum & *Wilhelmum* Comitem Hollandiæ, *Theodorici VII.* fratrem & ſucceſſorem, quæ eſt apud Buchelium ad Hedam p. 188. 189.

An. 1220. X. Theodoricus mihi nullibi repertus, a Drakenburgio adducitur ex Charta inedita *Arnoldi Cuikenſis* concernente Burch-graviatum Trajectenſem, quæ eſt anni 1200. Vide novam editionem Edictorum Provinciæ Ultrajectinæ tom. 1. p. 254. col. 1.

An. 1225. XI. Giselbertus tamquam Decanus ſubſcripſit anno 1225. Chartæ *Ottonis de Lippia*, quæ eſt apud Matth. de Jur. Glad. p. 424. 425. Anno 1226. litem habuit contra abbatem S. Pauli Trajectenſis ordinis S. Benedicti ſuper decima de *Rewich*, quam obtinuit per ſententiam ejuſdem *Ottonis*, quæ eſt apud Matth. ad Anonym. de Reb. Ultraj. p. 158. Eſt
1227. ibid. p. 161. Charta ejuſdem *Ottonis* anni 1227. cui ſubſcri-
1230. pſit *Giſelbertus*. Anno 1230. ſubſcripſit Chartæ *Wilbrandi* Epiſco-

piſcopi de monaſterio Loſdunenſi Sanctimonialium ordinis Ciſtercienſis, & anno 1234. Chartæ *Florentii* IV. Comitis Hollandiæ, multa conferenti huic noviter fundato monaſterio. Utramque habet Matth. Analect. tom. 6. p. 20. 23. Quinimo anno 1240. ſubſcripſit Chartæ *Ottonis* III. Epiſcopi de reſtauranda Eccleſia & capitulo Daventrienſi, quam habes apud Lindebornium Hiſt. Epiſc. Daventr. p. 31. Tandem occurrit in Charta ejuſdem *Ottonis* anni 1243. apud Matth. Fund. & Fata p. 54. Erat conſanguineus *Giſelberti* Præpoſiti S. Joannis uti ſupra diximus in dicto Præpoſito.

1234. 1240. 1243.

XII. JOHANNES *de* PERWYS ſucceſſit *Giſelberto*. Hoc conſtat ex Charta *Ottonis* apud Matth. de Nobil. p. 401. quæ eſt anni 1247. Quo anno ſucceſſerit, incompertum. Occurrit in Charta *Goſwini* Præpoſiti S. Joannis de arca clauſtrali vendita Fratribus minoribus S. Franciſci Ultrajecti ad inædificandam eccleſiam, quæ eſt ejuſdem anni apud Matth. Fund. & Fata p. 244.

An. 1247.

XIII. JACOBUS RUSIUS Decanus anno 1259. in append. Drakenb. Anno 1271. pronuntiavit ut arbiter cum duobus aliis inter *Joannem Naſſovium* Trajectenſem electum, & prælatos atque Eccleſiam ſuper teſtamento *Henrici Viandenſis* quondam Epiſcopi Ultrajectini. apud Matth. de Nobil. p. 270. Anno 1272. ſubſcripſit Chartæ *Joannis* domini de *Arckel* de bonis Commendatori & Fratribus B. Mariæ Theutonicorum apud Ultrajectum conceſſis. V. Analect. tom. 8. p. 312. & Heuſſen. Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 229. col. 2. Et eodem anno ſubſcripſit Chartæ *Joannis* electi de nundinis Vianenſibus, quæ eſt apud Buchel. ad Hedam p. 224. & apud. Matth. de Jur. Glad. p. 375. Anno 1277. pronuntiavit ipſe ſolus inſignem ſententiam inter Abbatem monaſterii de *Oeſtbroec* ordinis S. Benedicti, & Abbatiſſam monaſterii dicti *Vrouwenclooſter* ejuſdem ordinis, prope Ultrajectum, extra portam hodieque dictam *albarum dominarum*, quam dedit Matth. Fund. & Fata p. 406. Denique anno 1282. ſubſcripſit Chartæ *Joannis* electi Ultrajectini, quæ eſt apud Matth. de Nobil. p. 1066. Hactenus non occurrit cognomen quod huic Decano tribui, ſed cum non ſit alius præter illum inter

An. 1259. 1271. 1272. 1277. 1282.

inter S. Joannis Decanos, qui *Jacobo* vocetur nomine, non dubitavi cognomen *Ruſius* ei adjicere, ob hæc verba Necrologi S. Salvatoris. *III. Idus* (Auguſti) *obiit* Jacobus Ruſius *Diaconus, Decanus Sancti Johannis. Canonicus noſter.*

An. 1294. XIV. Hermannus Decanus anno 1294. Subſcripſit Chartæ *Joannis* II. Epiſcopi Ultrajectini, qua villam *Gheyne* liberum oppidum eſſe juſſit, quæ exſtat apud Matth. de Nobil. p. 829. 830. Drakenburgius in Catalogo ſuo, huic Decano adjecit cognomen *Meynards* ex Charta anni 1297. quam citat ex Tractatu de Jur. Glad. p. 423. Sed erravit vir accuratus: in hac enim Charta alius occurrit Decanus S. Joannis mox producendus, quem ille prætermiſit; & qui ibi nominatur *Magiſter Hermannus Meynardi*, Canonicus, non Decanus fuit.

An. 1297. XV. Gerardus de Reden Decanus Sancti Johannis. Perſpicue ita lego in Charta anni 1297. loc. ſup. cit. de Jur. Glad. p. 423. Hunc omiſit Drakenburg. & etiam Heuſſenius. Hic anno 1318. erat Præpoſitus S. Joannis ut ſup. loco ſuo. Hic neſcio quid velit auctor Append. Catalogi Drakenb. certe perturbat. *Gerardus de Reeden reperitur, Decanus fuiſſe an.* 1138. inquit ille, *& proinde locum habere debet poſt Florentium de Jutphaas.* Nemo, ut arbitror, hæc intelligit.

An. 1309. XVI. Florentius de Jutphaes Decanus S. Joannis anno 1309. in feſto S. Severini. Ex MS. Brockii Drakenburgius, qui notat *Florentium* decanatum dimiſiſſe; ut patet ex ſequentibus. Forte id fecerit cum factus eſt Præpoſitus Majoris. Vide ſup. inter Præpoſitos Majoris ubi ipſe ordine XXXIV.

An. 1322. XVII. Henricus van Loenreslooth occurrit ſæpius. Anno 1322. ſcrutator electus fuit ad colligenda ſuffragia pro electione Epiſcopi Ultrajectini poſt obitum *Frederici* II. & congregatis quinque capitulis præfuit electioni, & ipſe elegit cum reliquis *Jacobum* de *Outshoorne* Decanum Majoris. Charta electionis exſtat apud Matth. Analect. tom. 1. p. 188. & ſeqq. Eodem anno in teſtamento *Henrici Vrencke* Canonici & Theſaurarii S. Petri, nominatus eſt executor. Teſtamentum ipſum dedit Matth. in Centone ſuo epiſtola-
1326. rum *Andreæ Alciati* aliorumque p. 522. Occurrit ad an. 1326. apud

apud Matth. Analect. tom. 4. p. 421. Anno 1328. a *Joanne* 1328.
III. Epiſcopo Ultraj. creatur Officialis diœceſis Ultrajectinæ.
V. de Jur. Glad. p. 610. Occurrit ad an. 1330. de Nobil. 1330.
p. 775. ad an. 1338. ibid. p. 911. ad an. 1343. ibid. p. 616. 1338.
& ad an. 1345. de Jur. Glad. p. 124. Ejus obitum non re- 1343. 1343.
peri notatum, ſed notat Drakenburgius ex ineditis Buchelii ſchedis, quod anno 1351. jam exceſſiſſet é vivis. Hunc Decanum non novit Heuſſenius, nec etiam novem proxime ſequentes.

XVIII. Petrus de Selve, e Monteruco, natione An.
Gallus, ex ſorore nepos *Innocentii VI.* Pontificis, ex Epiſco- 1378.
po Pampilonenſi, Cardinalium præsbyterorum numero titulo S. Anaſtaſiæ adjunctus, & S. R. E. Vice-Cancellarius ab ipſo *Innocentio* renuntiatus eſt, inquit Ciacconius tom. 2. col. 534. Hic fuit Decanus S. Joannis, uti patet ex Charta anni 1378. Apud Matth. de Nobil. p. 630. cujus initium, quia A. Matthæi volumina in paucorum manibus ſunt, exſcribendum eſt, ne deſit dicti noſtri probatio. *Nuper Sanctiſſimus in Chriſto pater & Dominus noſter, Dominus Gregorius divina providentia Papa undecimus, quamdam commiſſionis ſive ſupplicationis cedulam per ſuum certum curſorem nobis Petro Gaſtonis legum doctori, Canonico, Capellano ſuo, & ipſius Sacri palatii cauſarum Auditori fecit more Romanæ Curiæ præſentari, quam nos cum ea qua decuit reverentia recepimus, tenorem, qui ſequitur, continentem: Beatiſſime pater, dudum Venerabilis vir, Dominus Egidius Bellemere veſtri Sacri palatii cauſarum auditor in cauſa quæ vertebatur coram ipſo inter Reverendiſſimum in Chriſto Patrem Dominum* Petrum *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Vice-Cancellarium, Decanum Eccleſiæ Sancti Joannis ex parte una, & Dominum Petrum de Velde præpoſitum ejuſdem eccleſiæ de & ſuper quibuſdam bladis* &c. *Petrus de Velde* Præpoſitus fuit ab anno 1363. uſque ad initium anni 1383. Porro *Petrus* Cardinalis Vice-Cancellarius, obiit ultima Maji. 1385. Ciaccon. ibid.

XIX. Reynerus vel Reinaldus van Vianen An.
mihi nunquam obviam factus, a Drakenburgio, neſcio ubi, 1380.
detectus, ad annum 1380. ejus fide producitur. Simon van Leuwen in Bat. illuſtrata p. 1143. eum Canonicum Majoris

& Decanum S. Joannis ſcribit, ſed nihil probat more ſuo. *Giſelberti* Domini Vianenſis filium facit, cùm fuerit frater apud Pontum Huterum in geneal. in Chron. M. Belg. p. 353. alias. 324. & apud Buchel. ad Hedam p. 263. Addit Simon, quod fuerit electus Epiſcopus Ultraj. & confirmatus a *Clemente* VII. anti-Papa. Electionem quod ſciam, nullus auctor loquitur: Heda & Suffridus Petri teſtantur, *quod epiſcopatum a Clemente callide impetraverat*, quem non obtinuit. Nemo eum Decanum S. Joannis, ſed omnes eum Sacris fuiſſe initiatum docent. Ceterum tempora ſi attendas, ut ei locus ſit, oportet, ut *Petrus* Cardinalis dignitatem vivus dimiſerit.

An. 1389. XX. Thomas Ursinus ex Comitibus de Manupello nobilis Romanus, Diaconus Cardinalis ab *Urbano* VI. creatus anno 1381. fuit Decanus S. Joannis, juxta Drakenburgium, qui ignorans ejus nomen & genus ſcripſit: *Cardinalis de Manupelle.* Ubi eum Decanum fuiſſe repererit, ſilet. Obiit die 6. Julii 1390. V. Ciaccon. tom. 2. col. 653.

An. 1390. XXI. Arnoldus van Culemborch anno 1390. Decanus juxta Drakenburgii ſententiam, quam non ſtuduit probare.

An. 1393. XXII. Raynaldus Brancacius nobilis Neapolitanus, Abbas & Acolythus Romani Pontificis, & prothonotarius apoſtolicus, inter Diaconos Cardinales titulo SS. *Viti* & *Modeſti* in macello martyrum ab Urbano hujus nominis ſexto cooptatus eſt anno 1384. ut docet Ciaccon. tom. 2. col. 662. Hunc Decanum fuiſſe, ego plane ignoro. Drakenburgius illum invenit ad an. 1393. ſed ubi, non loquitur. Obiit 27. Martii 1427. Ciaccon. ibid. Vivus depoſuerit Decanatum, conſtat enim, quod illo vivente Decanus fuerit, qui ſequitur,

An. 1395. XXIII. Godefridus Vetcoper quem Drakenburgius invenit ad an. 1395. Mihi invenitur an. 1406. in famo-
1406. ſa Charta *Frederici de Blanckenheim* Epiſcopi quæ eſt de Jur.
1412. Glad. p. 185. Item anno 1412. in Charta quæ eſt ibid. p.
1422. 405. Anno 1422. Analect. tom. 2. p. 559. Anno 1423. in-
1423. terfuit omnibus actis & actitatis quinque Capitulorum poſt
1425. mortem *Frederici* jam dicti, quando exarſit Schiſma inter *Suederum*

derum Culemburgicum, & *Rudolphum Diepboldium*. V. Matth. Analect. tom. 9. a p. 266.

XXIV. Egidius de Wissenkerc uti Decanus S. Joannis occurrit in Charta anni 1426. *Suederi Culemburgici*, quæ eſt apud Matth. de Nobil. p. 825. An. 1426.

XXV. Tilemannus Brant adfertur ad annum 1429. a Drakenburgio, ſilente unde habeat. Arbitror ex ineditis Buchelii ſchedis quas nonnumquam citat. Id ſi loquutus fuiſſet, retuliſſet gratiam. Mutos nuncios non intelligo. An. 1429.

XXVI. Gerardus Vrenck van Winssen filius *Gerardi* (cujus mater fuit *Johanna van Lichtenberch*) & *Mabiliæ Scorre*, fuit Decanus apud Drakenburgium anno 1432. apud A. Matth. Analect. tom. 2. p. 502. Occurrit *Gerardus* Decanus ad an. 1437. Anno 1455. cum aliis prælatis & Canonicis Ultrajectenſibus elegit *Gisbertum Brederodium* Epiſcopum. Vid. Inſtrumentum electionis ibid. p. 432. Obiit die 12. Januarii 1465. & ſepultus eſt in Eccleſia S. Joannis. Ita Drakenburgius ex ineditis Buchelii ſchedis de ſtemmate familiæ *de Winſſen*. An. 1432. 1437. 1455. 1465.

XXVII. Joannes de Vyanen de Jaersvelt ſtatuitur Decanus fuiſſe anno 1468. apud Drakenburgium. Mihi occurrit ad an. 1474. in Charta apud Matth. de Nobil. p. 444. & ad an. 1481. Analect. tom. 2. p. 6. Addit Drakenburgius ex ignotis rurſus notis, quod Decanus fuerit anno etiam 1483. An. 1468. 1474. 1481. 1483.

XXVIII. Joannes Martyn Decanus, incertum quo tempore. Anno 1508. jam e vivis exceſſerat, ut eſt in Charta Officialis Præpoſiti Majoris eccleſiæ, apud Matth. de Nobil. p. 551. Res, de qua ibi, & de qua hic non ſine ſcandalo agi poteſt, id innuit, ut non admodum diu mortuus fuiſſe videatur. Quare *Henrico de Lotting* antepoſui illum, qui poſtponi non poteſt. Dignitatem forte dimiſit, ſi ea non fuit privatus. Nam hæc Charta Officialis neſcio quid ſignificat. In Append. Catal. Drak. dicitur *Joannes Martyn* obiiſſe 7. Maji 1506.

XXIX. Joannes de Ryl filius naturalis *Bhilippi de Burgundia* Epiſc. Ultraj. Decanus fuerit hoc tempore, ut eſt in *d. Append.* An. 148...

XXX. Hen-

An. 1494. XXX. Henricus de Lotting, Drakenburgio *Van Lottum*, Decanus fuit anno 1494. Idem interfuit anno 1496. electioni *Frederici* Marchionis de *Baden* Epiſcopi. V. Analect. tom. 4. p. 450. qui paulo poſt obiit, nempe 11. Maji
1496. 1496. ut eſt in ipſo Inſtrumento electionis ibid. p. 507. Qui plura de eo volet, remittitur a Drakenburgio ad *Schookium de bonis Eccleſiaſt.* p. 754. qui auctor mihi numquam viſus eſt, ſed conquiſitus diu.

Huic *Henrico* ſubjungit Drakenburgius *Joannem Martyn* Decanum, adnotans hunc, anno 1508. referri apud Matth. de Nobil. p. 551. uti jam ante defunctum. Sed hic locum habere non poteſt. Habet ſupra ſuum, ipſo etiam adſtipulante, qui obitus diem certum, pro incerto Matthæi die, poſuit. Accedit teſtimonium Lappii, quod *poſt exceſſum egregii viri Henrici de Lottum* 1496. ſucceſſerit, qui ſequitur,

An. 1496. XXXI. Wilhelmus Heda Egmondanus, poëta laureatus, & Comes palatinus, variis in eccleſiis dignitatibus & beneficiis inſignis. Præpoſitus enim & Archidiaconus, ſive, ut ipſe ſcribit, Levita Arnhemenſis in Eccleſia Ultrajectina exſtitit. Decanus etiam S. Joannis poſt exceſſum egregii viri *Henrici de Lottum* 1496. Obtinuit etiam Canonicatum & præbendam in Eccleſia S. Salvatoris 10. Octobr. 1505. quam anno 1516. in dominum *Antonium Huges* reſignat. Ita in ejus vita ex memoriis Lappii, præfixa editioni ejus *Hiſtoriæ Epiſcoporum Ultrajectenſium anni* 1642. Ad reſidentiam admiſſus fuit anno tantum 1509. die 30. Septembris, ut ex MS. Brockii Drakenburgius prodidit. Anno
1517. 1517. adfuit cum *Philippus de Burgundia* ad regimen & adminiſtrationem eccleſiæ Ultrajectinæ admitteretur. V. Matth. Analect. tom. 1. p. 282. Obiit Antverpiæ, ubi & Canoni-
1525. cus fuit, in domo habitationis ſuæ anno 1525. Non. Novembr. in eccleſia Deiparæ Virginis, quæ jam Cathedralis eſt, humatus. Ita Valer. Andreas in Biblioth. belg. p. 318. 319.

An. 1525. XXXII. Thomas de Nykerken natione Gelrus, qui poſtea etiam Decanus Majoris, defuncto *Wilhelmo Heda* Decanus S. Joannis factus anno 1525. uti ex MS. Brockii af-
1528. firmat Drakenburgius. Anno 1528. erat Vicarius generalis *Henrici Bavari* electi Ultrajectini, ut patet ex diplomate quod eſt

eſt apud Heuſſenium Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 378. Eodem anno fuit jam tum Decanus Majoris & S. Joannis ſimul, uti in Charta ſuper Juramentis *Carolo* V. præſtitis liquet. V. *Tractatus* a me editos, & Matth. de Nobil. p. 718. In forma mandati quinque Capitulorum ad petendam a Papa confirmationem translationis temporalitatis in *Carolum* factæ, quæ
eſt de 31. Jan. 1529. appellatur ſolum Decanus S. Joannis. 1529.
Ibid. p. 789. In Acta conſenſus in mutationem Juramenti Epiſcoporum inductam per Cæſarem, non niſi S. Joannis
Decanus appellatur anno 1531. quæ eſt ibid. 742. 743. An- 1531.
no 1535. recepit uti Decanus S. Joannis Juramentum *Alber-* 1535.
ti Pighii Præpoſiti. ibid. p. 441. Occurrit ad an 1549. cum 1549.
Philippus Princeps Hiſpaniarum cum *Maria* Angliæ regina conjuge ſua, Ultrajectum veniſſet, & ipſe inaugurarețur.
ibid. p. 738. Obiit 19. Auguſti 1556. ex MS. Brockii & 1556.
ex Matth. Fund. & Fata p. 283. & idem habet Heuſſen. in additione altera ad Hiſt. Epiſc. Ultraj. ubi ex MS. *Gerardi Stenii*, addit *Thomam* præclara nominis ſui in eccleſia S. Joannis reliquiſſe monumenta, condito teſtamento in uſum eccleſiæ & pauperum.

Heuſſenius ſubjicit *Thomæ Albertum Pighium*. Nugæ. Illo anno *Pighius* factus eſt Præpoſitus & *Thomas* huic ſupervixit annis omnino tredecim. Hunc errorem viderat in *Henrico van Ryn* Drakenburgius, & caſtigarat: ſed neſciebat hunc hominem eſſe Interpretem Heuſſenii adeo fidelem, ut errores quoque latinos, belgicos reddat omnes, corrigat nullos.

XXXIII. Wilhelmus de Bocholt „ admiſſus eſt An.
„ ad poſſeſſionem Decanatus 10. Septembris 1556. In vi- 1556.
„ ta Decani *Nykerken*, *Bockholt*, proviſus de Decanatu & „ præbenda tamquam Coadjutor tam per Bullam Papæ, „ quam per nominationem & præſentationem Cæſ. Maj. „ ſed quia obiit in menſe Capituli, Turnarius ceſſit præ- „ bendæ, & *Bocholt* ſolum de Decanatu proviſus fuit. “ Sunt verba Heuſſenii, aut forte *Gerardi Stenii*. Adferunt ineluctabile argumentum contra *Pighium* Decanum.

XXXIV. Daniel Verheyde, Drakenburgius & Mat- An.
thæus ſcribunt *vander Heyde* „ admiſſus eſt ad poſſeſſionem 1559.

 „ de-

„ decanatus die 21. Octobris 1559. vacantis per reſigna-
„ tionem *Wilhelmi de Bockholt* conſentiente Rege. “ Ita Heuſſen. ſup. Obiit 28. Maji 1565. conſentientibus Drakenburgio, Heuſſenio, & Matthæo de Nobil. p. 643.

An. 1565. XXXV. ADRIANUS DE ZUYLEN filius *Gisberti* (cujus mater fuit *Eliſabeth de Zuylen van Nieveld*) & *Elegiæ Uten Ham*, hæredis dominii de Vleuten (cujus mater erat *Odilia van Noorde*) ſucceſſit *Danieli Verheyde*. Drakenburg. Electus fuit, ſi Heuſſenio credimus in d. addit. altera, & Broederſenio in Tract. Hiſtor. primo p. 45., ipſo die obitus *Danielis*, id eſt 28. Maji 1565. Sed attulit Matth. de Nobil. p. 643. extractum ex actis Curiæ Provincialis Ultrajectinæ, ex quibus patet, capitulo S. Joannis die 29. Maji ejuſdem anni interdictam fuiſſe electionem Decani: nimirum, quia ex Bulla *Clementis* VII. quinque Capitula nullos valebant eligere Decanos, niſi Regi gratos & acceptos. Quidquid ſit illo ipſo anno *Adrianus* factus eſt Decanus, ſubſcripſit enim die XI. Octobris 1505. Concilio Provinciali. Bat. Sac. part. 2. p. 26. Drakenburgius in quodam MS. Buchelii, invenit
1566. *Adrianum* Decanum anno 1566. Anno 1577. cum ageretur
1577. de complectenda civitate Amſtelodamenſi in fœdere Provinciæ Hollandiæ, cum Provinciis Zelandia, Weſt-Friſia & Ultrajectina, nomine *Guillielmi* I. Principis Auriaci, convenerunt civitatis ablegati cum deputatis Statûs; ſed magnis intercurrentibus difficultatibus, conciliatores interceſſerunt Ordines Ultrajectini, & eorum nomine adfuit *Adrianus*, cujus opera concluſi ſunt articuli Concordice (quam *Satisfactionem* Amſtelodamenſem appellant) die 8. Febr. 1578. quos habeo typis editos Delphis apud Albertum Henrici in quarto. De his meminit Iſaac le Long in Hiſtoria Reformationis civitatis Amſtelodamenſis, idiomate belgico edita anno 1729. in folio pag. 553. Primo ſtatim articulo proſpectum fuit integritati Catholicæ religionis intra civitatem, & art. 19. conſervationi bonorum eccleſiaſticorum; ſed nullo ſucceſſu. Obiit *Adrianus* die 25. Novembris 1599. ut ſcribit Broederſenius ſupra.

An. 1599. XXXVI. JOANNES VAN RENESSE filius *Adriani* Decani Majoris, ex legitimo matrimonio cum *Anna van Abcou-*

de.

de. Van Leuwen Bat. Illuſt. p. 1062. Drakenburgius ſcribit, quod jam tum die 16. Decembris 1597. electus fuerit Decanus, ſed ab Ordinibus Ultrajectinis confirmatus tantum menſe Novembri 1605. Verum, præterquam quod *Adrianus de Zuylen*, (qui numquam legitur reſignaſſe), deceſſerit tantum biennio poſt, hæc Drakenburgii ſententia repugnat epitaphio *Reneſſii*, quod ipſemet citat ex Matth. Fund. & Fata p. 124. 125. in quo dicitur Decanus electus fuiſſe anno ætatis 59. Atqui vixit annos 79. Igitur viginti ante obitum annis electus fuit Decanus. Jam vero conſtat illum obiiſſe, anno 1619. proinde confectum eſt, quod Decanus fuerit anno 1599. aut ineunte anno 1600. Heuſſen. in addit. altera ſæpe cit. pag. 3. col. 1. ponit electionem *Reneſſii* die 13. Martii 1600. Addo epitaphium quod eſt in eccleſia S. Joannis.

Siſte ſi lubet viator gradum pauliſper, & quid ſibi velit, ac cujus ſit hæc pendens tabula reſpice. Eſt Joannis Reneſſe, qui hujus ædis S. Joannis Baptiſtæ ætatis ſuæ XII. *Ann.* CIↃ. IↃ. LII. *creatus eſt divina benignitate Canonicus, mox inde Lovanium miſſus in pædagogio porci VII. Aprilis artium liberalium non infimo ordine vixdum decimum quartum ætatis annum attingens Magiſterio decoratus fuit. Porro ad juris utriuſque ſtudium ex parentum ſententia ſe contulit, quod conſucto communi annorum curſu * ex parte abſolvit. Domum reverſus vitam totam evolvendis bonis authoribus contrivit, & nihilominus interea omnibus eccleſiæ Officiis probe perfunctus inter cetera Vicarius & Officialis Archidiaconus S. Joannis a RR. DD.* † *Favenna & Montzima . . . . in Archidiaconatu ſuccedentibus nominatus, ac Perſonatus Goedelandiæ dignitate a poſtremo donatus fuit. Quin etiam poſt obitum illuſtris Baronis Frederici de Tautenburch Archiepiſcopi Trajectenſis, Officialis & Vicarius ſede vacante deſignatus, tandem ætatis anno* LIX. *decanus electus, vitæ decurſum Dei Opt. Max. clementia protraxit, donec etiam quinque eccleſiarum ſenior Canonicus D. G. dudum evaſerit, natus Anno* CIↃ. IↃ. XL. *Maji II. ſed poſt omnes has ſtatus ſui dimenſiones denatus* CIↃ, DC. XIX. *ſexto. Kal. Aug. ætatis* LXXIX. *Requieſcat in pace. Amen.*

Vide de his *Specimen Eruditionis Broederſenianæ* pag. 35.

* *Forte:* expleto, *quod intelligibilius, quam* ex parte.
† Favernay.

PRÆPO-

PRÆPOSITI ECCLESIÆ
B. MARIÆ.

An. 1085. I. ENGELBERTUS ſtatuitur fuiſſe Præpoſitus anno 1085. in MS. Brockii teſte Drakenburgio, qui putat Brockium reſpexiſſe ad Chartam quæ eſt apud Buchel. ad Hedam p. 142. ſed hæc eſt mera conjectura, & potuit Brockius reſpexiſſe ad Chartas, titulos & regiſtra nobis ignota. Seculo XI. fundata ſunt Capitula S. Petri, S. Joannis, & B. Mariæ. Habemus ad an. 1085. Præpoſitos minime dubios S. Petri, & S. Joannis, unde concludere licet; eodem anno capitulo B. Mariæ fuiſſe etiam Præpoſitum ſuum. *Engelbertus* hic (non *Lambertus Engelbertus* uti ſcribit Drakenburg.) in citata Charta appellatur Præpoſitus, non adjecto nomine Eccleſiæ, cui præfuit. Recitantur Præpoſiti quinque, nempe *Lanzo* Majoris, *Adelhardus* S. Salvatoris, *Rudolphus* S. Petri . . . *Lambertus*, *Engelbertus* Præpoſiti. Ordo capitulorum in Chartis ſervatus ut plurimum, non ſemper. Ex quo ordine inferre liceret, *Engelbertum* quinto loco poſitum, quinti etiam capituli, id eſt B. Mariæ, Præpoſitum fuiſſe. Sed hoc pacto, *Lambertus*, qui ibi nominatur, quarto loco, quarti, id eſt capituli S. Joannis anno 1085. Præpoſitus fuiſſet, quod fallit. Rem proinde in medio relinquimus.

An. 1108. II. BURCHARDUS Præpoſitus ad an. 1108. notatus in MS. Brockii, non occurrit mihi. Heuſſenius in Catalogo ſcripſit *Luthardus*.

An. 1125. 1128. III. LITARDUS Præpoſitus, cui Drakenburgius ex *Henrico van Ryn* adſcribit annum 1108. quod mihi non arridet, cum hic annus conveniat illi qui præcedit, ex Brockii MS. cui libentius aſſentior; & ex cujus ſententia huic *Litardo* adſcribo annos 1125. 1128. quemque, illo rurſus auctore, Epi-
1131. ſcopum Cameracenſem factum anno 1131. credam, cùm nihil obſtet. Fruſtra ſe hic fatigat Drakenburgius. Vide *Galliam Chriſtian.* novæ edit. tom. 3. col. 28.

Ad hunc annum dicti *Lietardi* ad eccleſiam Cameracenſem,

ponit

ponit Heuſſen. in Catalogo *Philippum* Præpoſitum, neſcio unde advectum. Sed occurrit eodem anno Præpoſitus indubitatus.

IV. Hugo qui anno 1131. ſubſcripſit Chartæ *Andreæ* Epiſcopi de parochia *Ulſen*, in Hiſt. Epiſc. Daventr. p. 160. Item alteri Chartæ ejuſdem Epiſcopi de parochia *Leuſden* quæ eſt anni 1132. in Bat. Sac. part. 2. p. 148. col. 2. quæ exſtat etiam apud Matth. de Reb. Amersf. p. 15. An. 1131. 1132.

V. Conradus Præpoſitus anno 1143. (non 1145. uti apud Drakenburgium) adfuit *Hardberto* Epiſcopo Ultrajectino, eccleſiam monaſterii Egmondenſis conſecranti. V. Matth. Analect. tom. 5. p. 529. An. 1143.

VI. Arnoldus Booth fuit Præpoſitus anno 1145. Certe eo anno, cùm *Harbertus* Epiſcopus e manu *Conradi* III. Regis Romanorum acciperet Comitatus de *Ooſtergou* & *Weſtergou*, ſubſcripſit inter alios *Arnoldus præpoſitus Sanctæ Mariæ*. Matthias Balen in deſcriptione Oppidi Dordraceni, in ſtemmate Familiæ *Booth*, commemorat *Arnoldum* eodem anno 1145. Præpoſitum S. Mariæ Ultrajecti fuiſſe. V. pag. 997. Item Simon van Leuwen Bat. Illuſt. p. 875. Heuſſenius *Arnoldum* Præpoſitum ſignat ad an. 1146. & Brockius in MS. apud Drakenburgium etiam ad an. 1147. An. 1145. 1146. 1147.

VII. Lugbertus ſolum Archidiaconus appellatur ad an. 1155. In A. Matthæi Catalogo in præf. Fund. & Fata editionis anni 1704. In Charta *Hermanni* Epiſcopi anni pariter 1155. quæ eſt apud Matth. de Jur. Glad. p. 119. 120. legitur *Engelbertus Archidiaconus*, ut apparet, B. Mariæ. Certe in Catalogo Matthæi *Balduinus de Hollandia*, qui ſequitur, appellatur: *præpoſitus ſolùm*. An. 1155.

VIII. Balduinus de Hollandia filius *Theodorici* VI. Comitis Hollandiæ juxta communem ſententiam. Fratres habuit *Theodoricum* Præpoſitum Majoris, *Florentium* Comitem, *Franconem* ſacerdotem ante ſe defunctum, *Robertum* & *Ottonem*, *Theodorici* VI. filios. A. Matthæus non adnumerat *Franconem*, numerandum ſane, ut ſtatim patebit. Ipſe verò anno 1155. jam tum erat Præpoſitus B. Mariæ, in Charta *Hermanni* Epiſcopi ſtatim citata. Occurrit ad an. 1168. apud Matth. Analect. tom. 5. p. 530. 531. & ad an. 1169. Analect. tom. 9. p. 169. & de Reb. Ultraj. p. 102. Anno 1176. fun- An. 1155. 1168. 1169. 1176.

davit anniverſarium officium pro ſua & fratris ſui *Franconis* ſacerdotis anima. Chartam vide apud Matth. in not. ad Anonym. de Reb. Ultraj. p. 103. Anno 1178. electus fuit Epiſcopus Ultrajectinus XIX. Beka. Heda. Bockenbergius,
1178. & Matthæus Voſſius Annalium lib. 2. ad an. 1178. Solus Heuſſenius tam in Catalogo, quam in Bat. Sac. part. 1. p.
1196. 149. id vult an. 1177. contigiſſe. Obiit anno 1196. Beka. Heda. Bockenbergius. Fuit & Præpoſitus Aldenzalienſis.

Vacavit præpoſitura ab anno 1178. uſque ad an. 1200. uti colligo ex Charta *Theodorici* Epiſcopi apud Matth. de Reb. Ultraj. p. 133. & aſſerit Brockius apud Drakenburg. *Balduinus* jam Epiſcopus, forte ſtatuerat illam dotare, cum *pauci vel nulli reditus ad eamdem præpoſituram pertinerent*, ut eſt ibid. *Theodoricus* aſſignavit reditus qui ibi leguntur. Auctor appendicis Drakenburg. contendit hic intruderdum neſcio quem *Lambertum Engelbertum an.* 1185. Non perſuaſit. Et nonne idem ille ſit qui mihi eſt primus in ordine Præpoſitus B. Mariæ? Ita videtur: & male ſcriptum 1185. ubi ſcribendum fuerat 1085.

An. IX. Remboldus vel Regeboldus Præpoſitus anno
1200. 1200. in Catalogo Matthæi, & in Charta *Theodorici* Epiſcopi
1204. proxime citata. Occurrit ad an. 1204. in duabus Chartis apud Hedam p. 189. & apud Buchel. p. 191. Chartæ *Theo-*
1207. *dorici* Epiſcopi anni 1207. decimas quaſdam novales donantis eccleſiæ S. Lebuini Daventriæ, primus ſubſcripſit *Reimboldus S. Mariæ in Trajecto præpoſitus.* apud Lindeborn. Hiſt. Epiſc. Davent. p. 30. 31. Occurrit uti Præpoſitus ad an.
1208. 1208. de Reb. Ultraj. p. 129. Drakenburgius ſcribit, quod anno 1210. factus ſit Decanus Majoris. Aſſentior ſi de *Remboldo II.* ſit ſermo, non autem de primo. Vide quæ de illo dixi inter Decanos Majoris. Addit ex Brockii MS. quod ad an. 1227. inveniatur fuiſſe ſimul Decanus Majoris, Præpoſitus B. Mariæ, & canonicus S. Petri, ac S. Joannis: Non contradico attentis moribus illorum temporum. Videtur eccleſiarum utilitatibus ſtuduiſſe. Sic lego in Catalogo A. Matthæi: *Iſte a Decano noſtro obtinuit bona ſcaldiæ ſibi, & in recompenſam Decanus obtinuit præbendam annexam. Iſte dedit bona noſtra* (eccleſiæ B. Mariæ) *in Alblas, Meyert & Merkerck.* 1207.

X. Wol-

X. Wolterus ſive Walterus, Præpoſitus fuit anno 1228. uti affirmat Drakenburg. ex inedito libro Statutorum B. Mariæ. In Matthæi Catalogo notatur ad an. 1230. Mihi inventus eſt ad an. 1240. in Charta *Ottonis III.* Epiſcopi Ultraj. quæ eſt apud Lindeborn Hiſt. Epiſc. Daventr. p. 31. Anno 1247. in Charta ejuſdem *Ottonis* apud Matth. de Nobil. p. 401. Alios annos adſcribit Heuſſenius, quem nihil moror, & in quibus fruſtra ſe torquet Drakenburgius. An. 1228. 1230. 1240. 1247.

XI. Egidius notatur in Catalogo Matthæi Præpoſitus ad an. 1250. An. 1250.

XII. Giselbertus Præpoſitus hoc loco a me collocatur contra omnes Catalogos, nempe Matthæi, Heuſſenii, Drakenburgii. Perſpicue lego in Charta anni 1274. apud Matth. Analect. tom. 10. p. 414. *In cujus rei teſtimonium & certitudinem ſigilla honorabilium virorum Dn̄orum* Henrici *Abbatis Monaſterii Sancti Pauli Trajectenſis, ordinis Sancti Benedicti, &* Giſelberti *Præpoſiti Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Trajectenſis præſentibus apponi rogamus.* Nimirum hanc Chartam præterierant omnes, & Matthæi Catalogus non a ſe, ſed a *Stephano van Rhemen* nobili Tranſiſalano concinnatus fuit. An. 1274.

XIII. Bernardus ex Comitibus Hannoniæ Præpoſitus ponitur ad an. 1278. in Catalogo Matthæi, ex quo alii duo, & nos etiam. An. 1278.

XIV. Adolphus de Waldege ex eodem Catalogo ad an. 1280. aliàs *de Waldeck*, & idem, qui fuit Præpoſitus Majoris, & poſtea Epiſcopus Leodienſis. Certe tempora conveniunt. Vide quæ dixi ad eumdem *Adolphum*, inter Præpoſitos Majoris, ubi eſt ordine XXXI. An. 1280.

XV. Giselbertus de Amstelle 1282. & 1297. *hic videtur habuiſſe competitorem: nam ejus tempore videtur ſumpſiſſe & exercuiſſe poſſeſſionem Hubertus de Amersfordia.* Ita Catalogus Matthæi. Sermo nonnihil faſtidioſus. In Charta anni 1282. quæ eſt apud Matth. de Nobil. p. 1066. legitur *Giſelbertus præpoſitus Sanctæ Mariæ*, non adjecto cognomine; quod etiam non adeſt Chartæ anni 1284. Fund. & Fata p. 575. ſi tamen illius anni ſit: præfert enim annum 1274. tomo 10. Analector. p. 414. quod nunc tandem ſuaderet expungendum eſſe priorem, *Giſelbertum.* Sed Matthæus ſi per Matthæum An. 1282.

corrigatur, duplex forte committetur error, quod in numeris innumeros habeat errores. Hic certe eum nobis ſequendum non eſſe, cum *Giſelbertum de Amſtelle* Præpoſitum facit ad an. quoque 1297. ſequentia probabunt.

Ex ſerie abbatum S. Pauli diſtingui poſſe ſperabam illius Chartæ annum verum, nempe an ſit anni 1274. an vero anni 1284. ſed cum ibi occurrant duo *Henrici* Abbates, uno *Joanne* medio, & uni annus 1274. videatur adſcribendus, alteri autem annus 1284. nihil abſolvi.

An. 1290. XVI. Hubertus de Amersfordia. *Iſte dictus fuit de Stoutenburch, ſicut etiam fuit fundator conventus S. Servatii, ut creditur* 1290. 1296. Catalogus Matthæi. Heuſſenius ei tribuit an. 1288. ſed nihil umquam probat. Lindebornius in Hiſt. Epiſc. Daventr. p. 67. col. 1. Catalogum Decanorum eccleſiæ collegiatæ S. Plechelmi Aldenzaliæ inchoat his verbis: *Hubertus qui & præpoſitus B. M. Traject. atque inveſtitus I. Paſtor in Steenwyck* 1290. Abeſt cognomen, ſed tempus convenit cum Matthæi Catalogo. In MS. Brockii apud Dra-
1291. kenburg. invenitur ad an. 1291. In Charta anni 1294. apud
1294. Matth. de Nobil. p. 830. eſt *Hubertus* S. Mariæ Præpoſitus, ubi cognomen videtur fuiſſe carie exeſum, ubi tamen ejus partem ſigilli videas, & nomen legas. Matth. profert in
1296. tract. de Jur. Glad. p. 114. initium Chartæ anni 1296. his verbis: *Nos Hubertus de Amersfoorde Dei gratia præpoſitus & Archidiaconus eccleſiæ beatæ Mariæ Trajectenſis &c.* Putat pag. præced. quod filius fuerit *Walteri* domini de *Amersfoort* & frater *Henrici* Abbatis S. Pauli qui obiit 1292. Dictus fuit *Stoutenburch* a caſtro ejus nominis, qua de re vide Matth.
1297. Rer. Amersf. p. 18. 19. In Charta anni 1297. eſt *Hubertus* Præpoſitus, non appoſito cognomine. De Jur. Glad. p. 423.
1299. Item in Charta anni 1299. quæ eſt in Rer. Amersf. Script. p. 19. & 20. In Necrologio S. Salvatoris non exprimitur annus obitus, ſed tantum dies & menſis his verbis: *V. Nonas (Julii) obiit Hubertus de * Stoltenberch Præpoſitus eccleſiæ beatæ Mariæ, Levita. Dantur X. ſolidi de quatuor jugeribus apud* Wyrſe.

* *Stoutenburch.*

An. 1300. XVII. Joannes de Croy, cujus fuit Vicarius *Tydemannus de Maerſſen* 1300. Ita in Catalogo Matthæi, quem hic exſcripſerunt omnes.

XVIII. Con-

XVIII. Conradus, cujus Vicarius erat *Gerlacus Guthle* An.
1309. Idem ut de præced. 1309.

XIX. Gerardus Wit, alias Soudenbalch, quod An.
ex hac familia ortus ſit. Fuit Decanus Majoris, appellatus 1310
a Necrologis *Gerardus Albus* id eſt de *Wit*. Vide ſupra in Decanis Majoris. Drakenburgius notat, quod anno 1310. Præpoſitus fuerit. Heuſſenius ſequitur Catalogum Matthæi, ubi ponitur annus 1312. Sed Drakenburgius ex MS. Brockii con- 1312.
tendit illum obiiſſe 24. Aprilis ejuſdem anni 1312. Dies concordat cum Necrologio S. Salvatoris in quo eſt: *VIII. Kal. Majas*. In Catalogo Matthæi dicitur: *Hic tentavit conferre eccleſiam de Harderwyck, ſed tandem per ſententiam epiſcopi Guidonis cecidit cauſa & capitulum triumphavit*. Lindebornius quoque in Hiſt. Epiſc. Daventr. non alium eccleſiæ Hardewyckanæ patronum agnoſcit præter Decanum, id eſt cum capitulo. Drakenburgius ex Heſſelii MS. dubitat, an alius *Gerardus* hunc *Gerardum Album* præceſſerit, & inter utrumque medius fuerit *Stephanus van Zuylen* qui ſequitur, ſed Matthæi Catalogus ſatis indicat ſucceſſionem eſſe confuſam. Tenendus tamen eſt Matthæi ordo, qui convenit etiam cum MS. Brockii.

XX. Stephanus de Zuylen 1310. *Hic videtur cum* An.
præcedentibus ſimul fuiſſe. Obiit 1312. Ita in Catalogo Mat- 1310.
thæi, cui conſentit Drakenburgius, addens ex Brockii MS. diem obitus: *ſextam Martii*. Heuſſenius hunc *Stephanum* etiam alibi detexit.

XXI. Giselbertus Præpoſitus an. 1313. *Hic in remo-* An.
tis agebat, & Vicarii ſui erant Engelbertus & Jacobus Giſelberti. 1313.
Catalog Matth. quem ſequuntur alii.

XXII. Henricus de Tegelen 1318. *cujus Vicarius* An.
fuit Henricus de Loenreſloot Canonicus S. Petri. Catal. Matth. 1318.
Fuit etiam Præpoſitus anno 1322. uti ex MS. Brockii 1322.
Drakenb.

XXIII. Wilhelmus *de* Iselstein Præpoſitus anno An.
1329. Catal. Matth. In Catalogo Heſſelii invenitur quoque 1324.
ad an. 1324. quod Drakenburgio arridet. 1329.

XXIV. Engelramus *de* Boenen, alias *Frenes*. *Hu-* An.
jus Vicarius fuit Hugo Vuyſtingh & Fredericus Oſſekyn Decanus 1327.
S. Salvatoris 1329. Catal. Matth. Appellatur etiam *Ingerma-* 1329.

 nus 1337.

nus vel *Ingeramus de Seyſſes*, aliàs etiam *van Boven*, perhibeturque Præpoſitus fuiſſe anno 1327. & è vita deceſſiſſe anno 1343. vel 1344. Ex M.S. Brockii Heuſſenius *Engelramo* tribuit annum 1337. Heſſelius apud Drakenburgium ex uno duos Præpoſitos facit. Primum *Ingerniannum* anno 1327. alterum *Engelramum de Boenen* alias . . . . . anno 1329. Ego nihil horum compertum habeo. Quod Drakenburgius cum labore eruit, id nos inopes ne deſtruamus. Verùm, confuſa cùm ſit Præpoſitorum hujus temporis ſucceſſio, eos diſtinctos non exhibeo.

An. 1340. XXV. JOANNES *ab* ORATORIO. *Hujus Vicarius fuit Theodoricus de Maerſſen & Gerhardus Pyl.* 1340. Catal. Matth. Ex proviſione apoſtolica ſucceſſit *Engelramo*, & Præpoſituram
1344. 1357. poſſedit ab anno 1344. uſque ad an. 1357. Ita Brockius in M.S. ſuo, qui eum appellat *Joannem van Orey*, apud Drakenburg.

An. 1360. 1370. 1371. XXVI. JOANNES *ab* ALTAVILLA, vel *de* ALTEVILLE, nec non *de* ALTEIN Præpoſitus anno 1360. in MS. Brockii. In Catalogo Matthæi anno 1370. Mihi occurrit ſæpius ad annum 1371. quando mortuo *Joanne Vernenburgio* Epiſcopo, quinque capitulorum comitiis pro novo pontifice eligendo interfuit, & Schismate facto inter capitulum Majoris, & quatuor reliqua capitula, his adhæſit relicto illo, & *Arnoldum de Hoorne* elegit Epiſcopum. Vide acta hujus Schismatis & electionis apud Matth. tomo 9. Analect. ubi p. 239. *Joannes* appellatur *de Altein*, & p. 241. & 247. *de Alteville*, ut dubium non ſit eſſe eumdem. Erit error in numeris apud Drakenburgium, dum hunc reperiſſe ſe dicit ad an. 1365. in ſup. cit. loco Matthæi. Ex Brockii MS. apud
1386. Drakenb. obiit *Joannes* 27. Auguſti 1386. ut proinde error ſit in Matthæi Catalogo, ubi obiiſſe dicitur anno 1405. niſi forte vivus Præpoſituram depoſuerit, locumque fecerit duobus ſequentibus.

An. 1387. XXVII. ARNOLDUS *de* EMELISSE Præpoſitus Matthæo ignoratus, dignitatem habuit anno 1387. ut Brockius in MS. teſte Drakenb. De ejus actis nihil occurrit: obitum ſignat Necrologus S. Salvatoris his verbis ad XII. Kal.
1393. Mayas. *Anno* CIↃ. CCC. XCIII. *obiit magiſter Arnoldus de Emeliſſe Præpoſitus beatæ Mariæ, Canonicus noſter.*

XXVIII. A-

XXVIII. Alardus *de* Molendino in Matthæi Catalogo pariter omiſſus, ſucceſſit *Arnoldo de Emeliſſe* paucis poſt hujus obitum diebus: nam in Charta Civitatis Daventrienſis ad *Bonifacium Papam IX.* pro tranſlatione *Frederici de Blanckenheim* Epiſcopi Argentoratenſis, poſtulati Ultrajectenſis, quæ eſt data 28 Aprilis 1393. nominatur *Alardus Sanctæ Mariæ Trajectenſis eccleſiæ Præpoſitus*, qui cum *Joanne* Embricenſi Præpoſito ad Papam proficiſceretur pro petenda poſtulati confirmatione. Vide Matth. Analect. tom. 9. p. 256. 257. Occurit ad annum 1400. in Charta apud Matth. de Nobil. in præf. ad lib. 3. p. 22. ubi adjicitur ei cognomen ſuum. Drakenburgius dat ejus epitaphium ex lapide in eccleſia B. Mariæ Ultrajecti. *Anno Dñi* M. CCCCVI. *Obiit Venerabilis Dñs magiſter.* Alardus de Molendino *natus de Dotichem, quondam Præpoſitus & archidiaconus hujus eccleſiæ, hic ſepultus. Cujus anima requieſcat in pace. Amen.* An. 1393. 1400. 1406.

Dum igitur apud Matth. de Jur. Glad. p. 185. tamquam in vivis exiſtens perhibetur die 26 Decembris 1406. id intelligendum venit juxta modum computandi quorumdam, qui annum inchoabant a die nativitatis Chriſti, id eſt a 25 Decembr. adeoque, juxta computum communem, *Alardus* vixiſſet adhuc 26 Decembr. 1505. qui idem dies, juxta alium computum, quem Matthæus ſecutus eſt, eſt ſecundus dies anni 1406. Ita Drakenburgius in Catalogo.

XXIX. Theodoricus *de* Benthem ex Comitibus de Benthem, Decretorum doctor, ſucceſſit *Alardo* de *Molendino* anno 1406. uti perſpicue in MS. Brockii ponitur teſte Drakenburgio, quamvis A. Matthæi Catalogus eum Præpoſitum faciat anno 1405. ſed male; quæ enim in prædeceſſore ejus dicta ſunt nullum relinquunt dubium. Heuſſenius eumdem errorem committens excuſandus eſt, non enim viderat epitaphium *Alardi*. Occurrit ad an. 1407. in Charta quam protulit Heuſſen. Hiſt. Epiſc. Harlem. p. 54. col. 2. Vidi in collegio B. Mariæ Lovanii, quod vulgo *Pulcheriæ* dicitur, MS. Catalogum privilegiorum paſtoratus Harlemenſis, ubi idem *Theodoricus de Benthem* anno 1407. perhibetur fuiſſe Præpoſitus B. Mariæ Ultrajecti. Obiit 15 Septembris anno 1415. Brockius in MS. Catal. Matth. ubi additur, quod ſepultus An. 1406.

ſit

ſit in domo capitulari eccleſiæ B. Mariæ, quæ domus, ſeu locus capitularis, tunc erat capella.

An. 1416. XXX. JOANNES *a* BUREN ex illuſtri familia Burana, filius *Giſelberti* domini de Buren (cujus mater *Joanna Comes de Los*) & N. Comitis *de Lippia*, factus eſt Præpoſitus B. Mariæ anno 1416. Ita Drakenb. ex Brockii MS. Erat etiam Præpoſitus Aquenſis ſive Aquisgranenſis, ut habet Heda p. 284. Anno 1423. mortuo *Frederico de Blanckenheym*, ab ali-
1423. quot canonicis electus eſt *Joannes Buranus*, ſed nullo effectu.
1428. Die 23 Januarii 1428. Culemburgi miſere periit. Favebat *Rudolpho Diepholdio* contra *Suederum Culemburgicum* electum & confirmatum Ultrajectinum, cui cùm ex oppido Culemburgenſi ſubſidia clam venirent, ſuſcitaverat *Rudolphum* injuriam ut ulcisceretur in oppidanos. Et jam ſuperatis muris pene erat ut oppidum interciperetur, ſed civibus ad arma concurrentibus, fugatæ ſunt *Rudolphi* copiæ, & *Joannes* Præpoſitus inſidiarum auctor comprehenſus fuit: „ quem in „ antiquum piſcarium forum (ubi ſupplicii locus adhuc vi„ ſitur) adductum, & in piſcarias menſas injectum, in illo „ populari motu, cives, tum viri tum fœminæ, membratim „ diſſecuerant, inſtituta ab eo tempore in diem S. Emerentia„ næ ſolemni & anniverſaria gratiarum actione; quam ad „ noſtram uſque ætatem vidimus obſervari, “ *inquit Henricus Cuyckius Culemburgenſis, Ruræmondenſis Epiſcopus ad S. P. Q. Culemburgenſem in præfat. parænetica Epiſtolæ impreſſæ Leodii an.* 1605. *in* 8.

An. 1428. XXXI. CONRADUS *de* DIEPHOLT filius *Joannis* (fratris *Rudolphi* Epiſcopi Ultrajectini) & *Margaretæ* filiæ *Conradi van Oldenburg*. Drakenb. in Catal. Erat Clericus diœceſis Oſnabrugenſis, & anno decimo octavo ætatis ſuæ, qui erat vulgaris 1428. electus ſeu poſtulatus fuit Præpoſitus & Archidiaconus B. Mariæ, ut eſt in Charta, cujus fragmentum dedit Matth. de Reb. Ultraj. p. 128. Succeſſit proinde *Joanni Burano* non *Henrico Rhæſio*, neſcio cui, uti Heuſſenius in Catalogo, qui hic adfert confuſa omnia. Duos Conrados, *Diephout* unum, *Diepholt* alterum: primum ante *Joannem Buranum* anno 1413. alterum poſt *Henricum Rhæſium*, ſine anno. Tum *Rudolphum de Diepholt*, qui Epiſcopus fuit, Præpoſitus numquam; ſed hunc ultimum lapſum fecit ductore

Catalogo

Catalogo Matthæi, hic falſo. *Conradus*, Præpoſitus fuit Oſnabrugi quoque & Daventriæ. Præpoſituram B. Mariæ dimiſit, & anno 1456. creatus fuit Epiſcopus Oſnabrugenſis.

XXX. JOANNES *de* LOVANIO Præpoſitus anno 1429. An.
Catalog. Matthæi. Drakenburgius ſcribit hunc non repe- 1429.
riri in Catalogo Matthæi. Hic excutiit. In MS. Brockii notatur obiiſſe menſe Decembri 1438. Sed de Præpoſitura
nulla ibi mentio, inquit Drakenb. 1438.

XXXI. HENRICUS RAESCOP Decretorum Doctor, Præ-
poſitus anno 1436. juxta Matthæi Catalogum; anno 1440. jux- An.
ta MS. Brockii apud Drakenburg. Dimiſit Præpoſituram anno 1436. 1440.
1452. & obiit 22 Januarii 1455. Brockius ibid. Anno 1454. 1452.
(*Append. Catal.*) In Necrologio monaſterii vallis S. Mariæ in ſuburbio Trajectenſi, quod dedit Matth. Fund. & Fata p. 437. ita lego: *XI Kal.* (Februar.) *Obiit venerabilis Dominus magiſter Henricus Raescop, quondam Præpoſitus beatæ Mariæ Trajectenſis.*

XXXII. ADOLPHUS *de* RUTENBERCH Præpoſitus ex An.
Henrici reſignatione anno 1452. MS. Brockii apud Drakenb. 1452.
Interfuit electioni *Gisberti Brederodii* Epiſcopi anno 1455. apud
Matth. Analect. tom. 2. p. 432. Præfuit etiam anno 1459. 1459.
uti patet ex Charta *Davidis de Burgundia* apud Matth. de Nobil. p. 896. In Catalogo Heſſelii apud Drakenb. dimiſerit
dignitatem die 10 Septembr. 1493. *Adolpho*, ſuo ex fratre ne- 1493.
poti; & obierit 6 Decembris 1494. Matth. Fund. & Fata p. 573. habet Chartam anni incerti, quæ incipit: *Rudolphus de Rutenberch Præpoſitus & Archidiaconus eccleſiæ Sanctæ Mariæ Trajectenſis.*

XXXIII. ADOLPHUS *de* RUTENBERCH præcedentis An.
ex fratre nepos, & ex reſignatione ſucceſſor anno 1493. In- 1493.
terfuit electioni *Frederici* Marchionis de *Baden* Epiſcopi Ul-
trajectini anno 1496. apud Matth. Analect. tom. 4. p. 466. 1496.
Obiit anno 1521. juxta MS. Brockii, & quidem die 20 1521.
Auguſti, ſi Heuſſenio credimus in Catalogo. Sepultus eſt Ultrajecti in eccleſia B. Mariæ. Catalog. Matthæi.

XXXIV. JOANNES ALBERTUS, filius *Frederici* Mar- An.
chionis de Brandenbourg, Anſpach, & Bareith, fratris 1521.
Joannis, qui erat Electus Brandenburgicus; factus eſt Præpoſitus B. Mariæ anno 1521. uti in MS. Brockius apud Drakenb. In Catalogo Matthæi etiam anno 1522. Præpoſi-

tus fuit. In Heſſelii Catalogo adnotatur, quod coactus fuerit Præpoſituram dimittere, non addita ratione. Drakenb.

An. 1523. XXXV. Joannes Clacheck, Weſtphalus, fuit Præpoſitus anno 1523. juxta Brockium; anno 1527. ſecundum
1527. Matthæi Catalogum. Occurrit tempore ceſſionis *Henrici Ba-*
1528. *vari* ad an. 1528. de Nobil. p. 859. & anno 1529. ibid. p.
1529. 789. Heuſſenius ejus cognomen male edidit in Bat. ſac. part. 1. p. 241. col. 1. ubi *Sfacherck*. Præpoſituram tranſtulit
1530. in *Antonium Perenottum* die 25 Auguſti 1530. M S. Brockii. Eodem anno, ſed menſe Junio factus fuit Præpoſitus Majoris.

An. 1530. XXXVI. Antonius Perenot filius *Nicolai*, domini de Granvelle frater germanus *Caroli* Præpoſiti S. Joannis de quo ſupra, reſignante *Joanne Slacheck* Præpoſituram accepit 25 Auguſti 1530. anno ætatis ſuæ decimo quarto, inquit Brockius apud Drakenb. qui obſervat, illum nondum habuiſſe tredecim annos, ſi, ut Valerius Andreas vult, natus ſit 1 Septembr. 1517. Sed hoc non eſt tanti. Winſemius Rer. Friſicar. Hiſtor. lib. 1. p. 21. edit in fol. meminit de *Anto-*
1556. *nio Perenotto*, uti Præpoſito B. Mariæ ad an. 1556. Præpo-
1561. ſituram tranſtulit in *Maximilianum Morillon* die 22 Sept. 1561. *Antonius* factus eſt Epiſcopus Atrebatenſis, S. R. E. Cardinalis, Archiepiſcopus Mechlinienſis, & poſtea Veſontinus, de quo hîc dicendi locus non eſt. Obiit Mantuæ Carpetanorum 21 Septembris 1586. Valer. Andr.

An. 1561. XXXVII. Maximilianus Morillon Lovanienſis, Archidiaconus eccleſiæ Metropolitanæ S. Rumoldi, & S. Petri Ariæ Præpoſitus, reſignante *Antonio Perenotto*, jam Cardinale & Archiepiſcopo, factus eſt Præpoſitus B. Mariæ Ultrajecti 22. Septembr. 1561. In Catalogo Matthæi ponitur annus 1562. In Hiſt. Epiſc. Groening. p. 73. exſtant litteræ *Maximiliani* Præpoſiti conferentis Vicariam ſeu Capellaniam fundatam in eccleſia parochiali de Borck in tractu Drenthiæ
1569. diœceſis Groeningenſis. Charta eſt anni 1569. Anno 1583. die 10 Septembris cæpit poſſeſſionem Epiſcopatus Tornacenſis; menſe ſequenti conſecratus fuit. Non ſedit integro triennio: obiit enim 27 Martii anni 1586. prope ſeptuagenarius, ſepultus in eccleſia Cathedrali Tornacenſi. Diu rexit diœceſim Mechlinienſem uti Vicarius Generalis Cardinalis Gran-

Granvellani, quo cedente, ipſe interim Epiſcopus, conſecravit Granvellani ſucceſſorem *Joannem Hauchinum* Archiepiſcopum Mechlinienſem ſecundum, die 30 Octobr. 1583.

XXXVIII. JOANNES FONCK Amersfortius, Juris utriuſque Doctor, reſignante *Morillonio* die 12 Septembris 1570. An. 1570.
factus eſt Præpoſitus B. Mariæ. Winſemius lib. 3. Hiſt. Friſiæ p. 170. 171. edit. in fol. meminit *Joannis Fonckii* Præpoſiti ad an. 1573. Hoc anno, niſi citius, accepit Præpoſituras eccleſiarum Colonienſium S. Severini, & B. M. ad gradus. Anno 1576. ſubſcripſit cuidam fundationi *Viglii Zuichemi* Conſilii privati Præſidis, quæ eſt apud Heuſſen. in Hiſt. Epiſc. Leovard. p. 110. Fuit Abbas eccleſiæ collegiatæ B. M. Virginis Namurci, introductus 26. Februarii 1580. Gallia Chriſtiana tom. 3. col. 583. ubi auctor ignoravit nomen Abbatis, & cognomen gallice extulit: *Foucque.* Fuit Conſiliarius privati Conſilii Bruxellis per diploma datum die 23 Octobris 1576. * Deinde in Hiſpaniam evocatus rerum ibidem belgicarum Senatui interfuit, & cuſtos Sigillorum ſupremi Senatus Flandriæ & Burgundiæ, nec non Cancellarius ordinis aurei Velleris factus eſt. *Tombeau des hommes illuſtres pag.* 45. unde hauſerit compilator Supplementi Trophæorum Brabantiæ Chriſtophori Butkens tom. 1. p. 175. Anno 1579. miſſus fuit a *Philippo II.* ad Conventum Colonienſem pro ſedandis tumultibus belgicis; & anno 1583. ad comitia Imperialia Auguſtæ. Matth. Rer. Amersf. p. 51. Obiit die 10 Octobris 1585. ſtylo novo, Montiſonii in Arragonia quo unà cum Rege venerat. *Receuil des Statuts de l'Ordre de la toiſou d'or tom.* 1. *p.* 180. Joannes Blaeu in Belgica Regia ſcribit *Fonckium* nominatum fuiſſe ad ſedem Gandavenſem poſt obitum *Cornelii Janſenii,* qui deceſſit anno 1576. Apud neminem alium id legi. Superfuit *Fonckius* annis novem. Quid confirmationem pontificiam impedivit?

Heuſſenius *Joanni Fonckio* in Præpoſitura ſucceſſorem conſtituit *Joannem Spitznas*, Matthæo & Brockio incognitum, & cui locus non eſt. Hunc prætereo, nihil enim probat Heuſſenius.

XXXIX. Ju-

* *Error. In Conſilium privatum cooptatus eſt anno* 1570. *& forte citius, uti liquet ex Epiſt. CXXI.* Viglii *ad* Hopperum.

An. 1579. XXXIX. Judocus van Wittenhorst Præpoſitus fuit procul dubio. Eſt in Catalogo Matthæi. Eſt in relatione *Lamberti vander Burchii* Decani B. Mariæ, de quæſitis ſubſcriptoribus famoſæ *Unionis* Ultrajectinæ anni 1579. in qua loquitur de *Judoco van Wittenhorſt* tamquam Præpoſito in vivis exiſtente. V. Matth. Fund. & Fata p. 144. In Catalogo Matthæi dicitur ad poſſeſſionem admiſſus 5 Septembr. 1592. Manifeſtus error, ex jam dictis. Nec refert quod *Fonckius* vixerit uſque ad annum 1585. nam veriſimile eſt, non abſtuliſſe illum Præpoſituram ſecum in Hiſpaniam, ſed alteri reſignaſſe, forte anno 1576. cum Reip. admotus fuit. Quidquid ſit *Lamberti Burchii* teſtimonium perſpicuum eſt. In append. Cat. Drakenb. dicitur *Judocus* obiiſſe 30 Junii 1592.

An. 1594. XL. Antonius Asselier fuit Præpoſitus B. Mariæ Ultrajecti, Canonicus eccleſiæ Metropolitanæ S. Rumoldi, & Conſiliarius eccleſiaſticus in magno Regis Conſilio Mechliniæ, 5 Octobris 1594. Ad Conſilium privatum Bruxellis aſſumptus eſt anno 1603. Præpoſitus quoque S. Gertrudis Nivellis. Tombeau des hommes illuſtres Chap. 4. p. 39. Suppl. de Butkens tom. 2. p. 317. * Præbendæ Mechlinienſi renunciavit anno 1603. Obiit Bruxellis 8 Novembris 1631.

In Catalogo Matthæi ponitur *Joannes Verheul* ad an. 1618. quinimo in Heſſelii Catalogo apud Drakenburg. ad an. 1617. Sed dubito, an is Catholicus fuerit, & de Acatholicis non curo. Certum eſt, quod illis temporibus canonicis Catholicis immixti eſſent Acatholici. Idem eſt de prælatis. Anno 1622. omnis ad quinque Capitula Ultrajectenſia aditus Catholicis præcluſus fuit ex Ordinum edicto, uti docui in *Hiſtoria Eccleſiæ Ultrajectinæ*.

DECA-

DECANI ECCLESIÆ B. MARIÆ.

I. HErmannus notatur Decanus fuiſſe anno An.
1108. in MS. Brockii apud Drakenb. 1108.

II. Otto Decanus B. Mariæ anno 1117. in- An.
quit Heuſſenius, quem non audirem, niſi 1117.
mihi occurreret *Otto* ad an. 1118. in Charta 1118.
quam dedit Buchel. ad Hedam p. 152. Etiam
anno 1119. Decanus fuerit, uti ex MS. Brockii notavit 1119.
Drakenb.

III. Arnoldus Decanus occurrit ſæpius. Drakenbur- An.
gius putat illum inveniri ad an. 1125. apud Buchelium ad 1125.
Hedam p. 201. in Charta *Conradi* Cardinalis Portuenſis ubi 1130.
A. S. Mariæ Decanus. Invenitur *Arnoldus* Decanus de S.
Maria anno 1130. Apud Buchel. p. 161. quæ Charta *An-
dreæ* Epiſcopi præfert annum 1131. Apud Matth. de Jur.
Glad. p. 359. 360. & apud Heuſſen. Hiſt. Epiſc. Ultraj. p.
568. Ad hæc non adverterat Drakenburg. Habemus *Arnol-
dum* Decanum anno 1131. in Charta *Andreæ* Epiſcopi de pa-
rochia de *Ulſen* Hiſt. Epiſc. Daventr. p. 160. col. 2. Item ad 1131.
an. 1132. in Charta ejuſdem de monaſterio *S. Odulphi* ordinis 1132.
S. Benedicti in *Stauria* apud Matth. Analect. tom. 6. p. 75.
In MS. Brockii notatur ad an. 1138. & ad an. 1139. apud 1138.
Buchel. ad Hedam p. 160. Heuſſenius adjicit annum quo- 1139.
que 1151.

IV. Rudolphus Decanus occurrit anno 1145. in Char- An.
ta apud Matth. de Jur. Glad. p. 120. & anno ſequenti in 1151.
Charta *Godefridi* Epiſcopi, de Nobil. pag. 459. Heuſſenius ite- 1156.
rum annum adjicit. 1157.

V. Jordanus qui inter Præpoſitos S. Salvatoris locum An.
habuit ad annum 1164. dicitur eodem anno fuiſſe Decanus 1164.
B. Mariæ in MS. Brockii apud Drakenb. Heuſſenius hunc
non novit.

VI. Gocelinus quem docui Præpoſitum quoque fuiſſe An.
1176.

S. Sal-

S. Salvatoris anno 1176. eodem anno S. Mariæ Decanus
fuit, notante Brockio ibidem, ignorante Heuſſenio.
An. VII. Remboldus, idem forte qui Præpoſitus hujus ec-
cleſiæ, & Decanus Majoris, invenitur Decanus B. Mariæ
1196. fuiſſe anno 1196. in Charta quæ exſtat apud Matth. de Jur.
Glad. p. 383. Et hunc ignoravit Heuſſenius, qui tamen in
Hiſt. Epiſc. Daventr. p. 186. 187. dedit Chartam *Theodorici*
1200. Epiſcopi, de an. 1200. cuî ſubſcripſit *Remboldus S. Mariæ*
Decanus; quod ultimum etiam Drakenburgius non invenit.
An. VIII. Henricus Decanus fuit anno etiam 1200. *Rem-*
1200. *boldo* jam Præpoſito facto, uti videre eſt in Charta *Theodorici*
Epiſcopi, collapſos præpoſituræ reditus augentis. Vide apud
Matth. de Reb. Ultraj. p. 133. 134. Brockius hunc refert
1203. ad an. 1203. & habes illum in Charta anni 1204. apud Bu-
1204. chel. ad Hedam p. 189. & in Charta anni 1207. in Hiſt.
1207. Epiſc. Daventr. p. 31. col. 1. ac tandem anno 1208. in
1208. Charta de Reb. Ultraj. p. 129. Quinimo *Append. Cat. Dra-*
1213. *kenb.* refert hunc Decanum anno 1213.
An. IX. Andreas fuit Decanus B. Mariæ. Sine dubio. Sed
1220. anno 1200. uti Drakenburgius ex ſchedis ineditis autumat,
non arridet. Puto errorem eſſe in numeris. & legendum:
1225. an. 1220. Certe occurrit ad an. 1225. in Charta *Ottonis de*
Lippia Epiſcopi, quæ eſt de Jur. Glad. p. 425. & ad an. 1226.
de Reb. Ultraj. p. 161. atque ad an. 1227. ibid. p. 160. Ad
an. 1228. eum habes apud Buchel. ad Hedam p. 203. Ad
an. 1230. in Charta *Wilbrandi* Epiſcopi Analect. tom. 6. p.
1231. 23. & tandem ad an. 1231. de Jur. Glad. p. 384. Draken-
1238. burgius ex MS. Brockii adjicit annos 1237. & 1238. Non
repugno. Sed Heuſſenius exorbitat addens an. 1255. Unde
habeat quærat nemo. Sibi ſcribit non aliis.
An. X. Enghelbertus Decanus B. Mariæ notatur ad an.
1248. 1248. in ſtatutis ineditis eccleſiæ B. Mariæ apud Drakenb.
1266. & ad an. 1266. in MS. Brockii ibid. Heuſſenius rurſus ad-
jicit annum unum. In Necrologio S. Salvatoris non legitur
niſi dies obitus his verbis. *III. Idus* (Junii) *Obiit Enghelber-*
tus Decanus S. Mariæ Canonicus noſter. Brockius qui etiam an-
1282. num obitus ignoravit; ponit diem 16. Junii. In Necrologio
Capituli Daventrienſis notatur dies 13. Junii his verbis: *Idi-*

bus

bus Junii anno domini M. CC. LXXXII. *obiit Engelbertus archidiaconus Leodienſis & Decanus S. Mariæ Trajectenſis & dantur* &c. Apud Dumbar Daventr. ſac. & prof. p. 325.

XI. Nicolaus de Velde hoc loco inter Decanos An. ponitur, diciturque obiiſſe 1. Decembris, nullo anno expreſſo in MS. Brockii. In Catalogo Heſſelii ponitur immediate ante *Erneſtum van Lichtenberch*. Drakenb.

XII. Laurentius Adam eodem modo & eadem in- An. certitudine relictâ, Decanus fuiſſe dicitur, & deceſſiſſe die 28. Decembris anno incomperto. MS. Brockii apud Drakenb.

XIII. Henricus notior eſt, & occurrit ad an 1293. a- An. pud A. Matth. Fund. & Fata p. 152. & anno 1294. de No- 1293. bil. p. 830. 1294.

Huic *Henrico* ſubjungit Heuſſenius Decanos duos *Hubertum* ad an. 1294. & *Henricum van Tegelen* ad an. 1313. Male. Uterque fuit Præpoſitus S. Mariæ ut ſupra videri poteſt, & a Drakenburgio jam adnotatum.

XIV. Ernestus de Lichtenberch fuit Decanus An. anno 1321. Apud Drakenb. & apud Matth. Analect. tom. 3. 1321. p. 445. ubi per errorem typothetæ legitur annus 1327. cum legendus ſit an. 1321. ipſo monente. Anno 1322. interfuit 1322. electioni *Jacobi de Outshoorne* Epiſcopi Ultrajectini. Analect. tom. 1. p. 192. Obiit die 4. Junii 1325. Brockius apud Drakenb.

Rudolphus de Borch Decanus. De nomine multa An. quæſtio. Ego ſcribo prout mihi occurrit in Charta anni 1326. 1326. in vigilia Pentecoſtes, quæ eſt Analect. tom. 4. p. 421. Drakenburgius putat eſſe eumdem, qui apud. Matth. de Nobil. p. 786. appellatur *Rodolphus dictus Boregrave*, qui ibidem tantum uti Canonicus S. Mariæ anno 1421. refertur. Anno 1330. *Rodolphus S. Mariæ Decanus* nullo adjecto cog- 1330. nomine invenitur in Charta quæ eſt de Nobil. p. 775. Brockius ſcribit nunc *Rudolphus Burchgrave*, nunc *Rudolphus vander Burch*. Heuſſenius *vanden Bergh*, & prætendit etiam *Ro. Borghovi* dictum. Quid ad nos? Drakenburgius reperit in libro Statutorum inedito eccleſiæ B. Mariæ, quod *Rudolphus* Decanus e vita diſceſſerit anno 1333. die dominica poſt *Mar-* 1333. *tini translat.* Hæc translatio celebrata Ultrajecti 4. Julii.

In

In Catalogo Heſſelii occurrunt Decani duo. *Andreas* ad an. 1328. & *Rudolphus de Caſtro* ad an. 1329. Drakenb. hunc *Rudolphum de Caſtro*. & *Rudolphum* illum *de Borch*, unum putat fuiſſe & eumdem. De *Andrea* cum laboraret, nihil ſtatuit. Quid ſtatui poſſet, ego quidem non video.

XV. Joannes van Slewyck Decanus repertus eſt mihi an 1336. in Charta *Joannis Dieſthenſis* Epiſcopi Ultrajectini xlv. in Chronico Tranſiſulano vernaculo quod edidit Gerh. Dumbar. Anal. tomo 2. p. 266. In Brockii MS. tri-
1337. buuntur ei anni 1337. 1338. & ſcribitur obiiſſe die 9. No-
1338. vembr. non addito anno. In Davent. ſac. & prof. tom. 1. pag. 268. edidit Gerhardus Dumbar teſtamentum *Joannis de Wye* Decani Daventrienſis conditum an. 1356. in quo executor nominatur *Johannes de Sleswyc Decanus Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Trajectenſis.*

An. XVI. Joannes van Steenwyck (etiam *Sterwyck*)
1340. apud Heuſſenium notatur Decanus ad an. 1340. In Brockii MS. tanta eſt ſimilitudo nominum & vicinitas temporum, ut non duo Decani, ſed unus videri poſſit. Non habeo unde pronuntiem.

An. XVII. Hugo Braam (qui anno 1338. adhuc Cano-
1345. nicus erat B. Mariæ apud Matth. de Jur. Glad. p. 605.) occurrit tamquam Decanus anno 1345. ibid. p. 124. ad an.
1360. 1360. in MS. Brockii. Teſtamentum quod condidit 14. Martii 1364. a Matthæo vulgatum eſt Analect. tom. 2. p. 531.
1364. Obiit juxta Heuſſenii Catalogum eodem anno 1364. Diem habe ex Necrologio Monaſterii vallis B. Mariæ apud Matth. Fund. & Fata p. 471. *XI. Kal.* (Decembr.) *obiit Dnus* Hugo Braem *Decanus S. Mariæ, qui contulit conventui tria jugera terræ.*

Heuſſenius huic *Hugoni* ſubjunxit *Jacobum Cats* tamquam Decanum anno 1380. qui in nullo prorſus Catalogo reperitur, & nemini in antiquis Chartis occurrit. Drakenburgius animadvertit, quod illo anno alius Decanus fuerit: & recte. Nihilominus illi ſuo in Catalogo locum dedit ſed quo jure aut titulo? Nullum ille mihi numerum faciet.

An. XVIII. Petrus de Leeuwenberch Decanus fuit
1371. anno 1371. uti patet ex actis quinque Capitulorum poſt mortem *Joannis Vernenburgii*, de quibus jam ſæpe, & quæ ſunt

apud

apud Matth. Analect. tom. 9. p. 239. ubi appellatur etiam *Baccalaureus in Canonibus*. Heuſſen. ejus nomen miſere diſtorquet. Sed tranſeant hæc. Adjecit ei annos 1375. & 1378. 1375.
quos acceptamus, quia Brockius etiam an. 1386. & Dra- 1386.
kenb. 1387. reperit. In MS. Brockii dicitur obiiſſe 14. Ju- 1393.
lii 1393.

Heuſſenius huic ſucceſſorem dedit *Everardum Foeck*. Sed erat ſui oblitus, ut ſæpe alias. Fuit nempe *Everardus* ille, Decanus S. Salvatoris, hoc ipſo tempore.

XIX. JOANNES WITT DE DELFT dicitur in Brockii An.
MS. Decanus factus anno 1393. & uti talis occurrit an. 1393.
1394. & 1395. apud Heuſſen. Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 390. col. 2. in deſcriptione antiqua vernacula eccleſiæ Delphenſis S. Urſulæ; ubi dicitur oriundus ex *Naaldwyck* aut certe ex *Waeteringe*, & fundaſſe Vicariam aut capellaniam perpetuam in dicta eccleſia: ac erexiſſe confraternitatem S. Crucis. Occurrit ad an. 1406. in Charta apud Matth. de Jur. Glad. p. 1406.
185. in qua ſcribitur *Johanues Wyt* Beatæ Mariæ Decanus. Anno 1417. apud Drakenb. Occurrit ad an. 1423. in actis Capitulorum Ultrajectenſium poſt mortem *Frederici de Blanckenheym*, Analect. tom. 9. p. 266. 269. ubi *Johannes Wit de Delff*. Anno 1425. procuratorem *Suederi de Culemburch* electi Ultrajectini, nomine quatuor Capitulorum, excluſo capitulo Majoris, duxit in poſſeſſionem Epiſcopatus. Ibid. p. 284. 289. Adhæſit deinceps *Suedero* contra *Rudolphum Diepholdium* poſtulatum, & cum illo Arnhemum diſceſſit. Ibid. p. 416. Teſtamentum a ſe conditum die 28. Octobris anno 1433. 1433.
edidit Matth. Analect. tom. 3. p. 362. In Necrologio S. Salvatoris ad III. Kal. Novembres ita lego: Anno CIↃ. CCC. (corrige: CCCC.) XXXIV. *obiit Johannes Wit decanus B. Mariæ* 1434.
Canonicus hujus eccleſiæ.

Drakenburgius monet vacaſſe Decanatum anno uno & amplius. *Joannes Witt* apud Heuſſenium ponitur loco non ſuo. Intruſit unum qui ſeculo integro poſterior eſt. Culpat etiam Drakenburgius quod Heuſſenius ex uno duos Decanos fecerit: *Johannem Witt* ad an. 1433. & *Johannem van Delft* ad an. 1435. ſed vir ille non conſuluit editionem latinam, ſola verſione Hollandica contentus. Adeo ut hic error jam *Hen-*

rico van Ryn debeatur, non Heuſſenio, qui non ſcripſit duos *Joannes*; quamvis, ſi quis ſevere animadvertere volet, duos, non unum eſſe crediderit.

An. XX. Jacobus Goeyer ſucceſſit *Joanni Witt de Delft* die
1435. 13. Julii 1435. cum eſſet adhuc minorennis, inquit Brockius, & non capitularis. Requirebatur Ultrajecti, ut jam fere in omnibus Capitulis, Ordo ſubdiaconatus, ut quis capitularis fieret. V. ſup. in *Gisberto Brederodio* Præpoſito Majoris. Ex-
1440. ſtat Charta ipſiuſmet *Jacobi* Decani, anni 1440. 25. Octo-
1449. bris apud Matth. de Jur. Glad. p. 170. Obiit anno 1449. die 22. Junii, vel die 22. Julii, uti varie adnotavit Brockius apud Drakenb.

An. XXI. Nicolaus Henricus van Luyck, Roma-
1449. no Pontifici, neſcio cui, a cubiculis, Canonicus & Decanus B. Mariæ factus eſt die 12. Octobris 1449. Drakenburg. in Catal.

An. XXII. Godefridus van Waije Camerarius ſecretus Ro-
1451. mani Pontificis ignoto, *Jacobo Goeyer* ſucceſſiſſet in Decanatu anno 1455. juxta MS. Brockii. Heuſſenius qui eum appellat *Godefridum de Wye*, ſtatuit Decanum fuiſſe anno 1451. quod confirmat Drakenburgius ex quodam *catalogo decanorum & canonicorum B. Mariæ*, in quo electus perhibetur die 19. Fe-
1458. bruarii; & poſtea decanatum dimiſiſſe die 14. Aprilis 1458.

An. XXIII. Hermannus Droom vel Droem reperitur
1458. Decanus B. Mariæ jam die 26. Junii 1458. apud Matth. Analect. tom. 9. p. 422. 423. In Brockii MS. dicitur fuiſſe
1459. Decretorum Doctor, & Decanus anno 1459. Obiit anno 1476.
1476. die 7 Junii, conſentiente hic Heuſſenio.

Hic interſerit Heuſſenius *Henricum Minneprys* Decanum electum a Capitulo, qui in nullo catalogo occurrit. Addit ſtatim, quod ſponte ceſſerit: igitur hic locum non petit.

An. XXIV. Robertus de Lacu, belgice Vanden
1476. Poel, Gandavenſis, Juris utriuſque Doctor & ſacrorum Canonum Anteceſſor primarius in Univerſitate Lovanienſi, condito teſtamento anno 1483. 17. Kal. Julii, domum quam ibidem inhabitabat in nova platea, *legavit facultatibus utriuſque Juris ad opus unius Collegii pro pauperibus ac honeſtis Scholaribus ſtudentibus in eisdem facultatibus perpetuo habendam ac poſſidendam.*

dam. Quod Collegium piis poſtea auctum fundationibus, quas *burſas* vocant; etiamnum ſubſiſtit & floret, vocaturque *Collegium S. Joannis* vel etiam *Baccalaureorum*. Vide *faſtos Academicos ſtudii generalis Lovanienſis*. Factus fuit Decanus B. Mariæ Ultrajecti die 12. Junii 1476. quamvis nondum Canonicus, electus Decanus ſub *exſpectativa* præbendæ, inquit in MS. Brockius. Ipſe viderit. Nunquam reſedit *Robertus* Ultrajecti, & obiit Lovanii die 26. Junii an. 1483. ſepultus in Monaſterio Canonicorum Reg. Ord. S. Auguſtini, vulgo *Thronus S. Martini*. Faſti Academ. Quare Heuſſenius rurſus male, dum eum deceſſiſſe dicet 23. Junii 1485. Fuit Canonicus & pœnitentiarius cathedralis eccleſiæ Sylvancetenſis in Gallia, & Canonicus S. Donatiani Brugis Comp. Chronol. Epiſcoporum Brugenſium pag. 180. 1476.

XXV. Bernardus de Teyla Heuſſenio ignoratus, die 13. Julii 1484. *Roberto* ſucceſſit. Ita apud Drakenb. MS. Brockii & *Catal. Decan. & Canon.* Anno 1496. interfuit electioni *Frederici Badenſis* Epiſcopi Ultrajectini apud Matth. Analect. tom. 4. p. 466. In Necrologio Monaſterii Vallis B. Mariæ ad diem XII. Kal. Septembr. ita habetur: *Obiit venerabilis & ſpectabilis vir ac Dominus* Dn. Bernardus de Tyel *Decanus Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Trajectenſ. ac Conſervator noſtri Conventus, qui contulit nobis pitantiam de vino ann.* 1514. Matth. Fund. & Fata p. 460. An. 1483. 1496.

XXVI. Henricus Zoudenbalch filius naturalis *Everardi* Canonici & Theſaurarii Eccleſiæ Majoris, & Præpoſiti S. Servatii Trajecti ad Moſam (& non S. Martini Trajecti ad Rhenum ſive Ultrajecti, uti hallucinatur Heuſſenius) *Bernardo* ſucceſſit Decanus B. Mariæ, uti Brockius in MS. & quidem die 21. Auguſti 1514. uti in *Catal. Decan. & Canon.* Apud Drakenb. Anno 1517. adfuit uti Decanus, cùm *Philippus de Burgundia* cathedram Ultrajectinam ſolemniter adiret. Apud Matth. Analect. tom. 1. p. 282. Anno 1521. notatur apud Drakenb. Occurrit ad an. 1524. apud Matth. de Jur. Glad. p. 445. & de Reb. Ultraj. p. 122. in libello quinque Capitulorum ad *Clementem* VII. pro confirmatione *Henrici Bavari* hoc anno electi. Drakenburg. eum etiam reperit ad an. 1528. & 1529. ſubjungens *ex ſchedis ineditis*, quod *Henricus*, An. 1514. 1521. 1524. 1528. 1529.

cum ad gravem ætatem perveniſſet, Capitulo conſentiente,
1530. decanatum transtulerit in *Hermannum de Gauda*, qui ſequitur, ſub penſione ducentorum florenorum aureorum annue, idque anno 1530. quamvis Brockius id referat ad an. 1531. Obiit die 5. Octobris anno 1531. Necrologus Monaſterii vallis B. Mariæ ad III. Non. Octobr. ita habet: *Obiit honeſtus dominus* Henricus Soudenbalch *Decanus S. Mariæ XXXI.* nec plura. Matth. Fund. & Fata. p. 466.

An. 1530. XXVII. *Hermannus* ſive *Hermas Lethmatius*, Gaudanus, qui etiam ſe ſcripſit HERMANNUM DE GAUDA ſimpliciter, & promiſcué, diebus 11. & 12. Octobris anni 1530. factus eſt Decanus B. Mariæ ex reſignatione *Henrici Zoudenbalch.* Drakenb. Occurrit mihi ad diem 27. Maji 1531. quando prælati Ultrajectini, conſenſerunt, non ſat volentes, in mutationes a *Carolo* V. Cæſare præſcriptas. V. Matth. de Nobil. p. 743.
1534. Anno 1534. Sede Ultrajectina per obitum *Guilielmi* S. R. E. presbyteri Cardinalis *Enckevortii* Epiſcopi vacante, a quinque eccleſiis Trajectenſibus Vicarius generalis fuit electus. Exſtat Charta ejuſdem anni de die 13. Septembr. apud Heuſſen. Bat. ſac. part. 2. p. ult. incipiens his verbis: *Hermannus de Gauda S. Theologiæ profeſſor Decanus eccleſiæ Beatæ Mariæ Trajectenſis, ſede epiſcopali Trajectenſi vacante Vicarius in ſpiritualibus generalis, a quinque eccleſiis Trajectenſibus ſpecialiter deputatus &c. Hermannus* in carcerem conjectus fuit, quod a *Carolo* Egmundano Duce Gelriæ (tempore belli civilis Ultrajectinos inter & *Henricum Bavarum* electum Ultrajectinum) ſibi extorqueri paſſus fuiſſet unum e monocerotis tribus cornubus ab *Henrico IV.* Imperatore donatis eccleſiæ B. Mariæ. Finito bello, & ditione Ultrajectenſi in Cæſarem translata, Ordines indigne tulerunt ablatum cornu, & *Hermannus* Decanus, a ſorore Cæſaris *Maria* Hungariæ Regina vidua, non aliter dimiſſus niſi ad libellum quinque Capitulorum, & poſtquam caviſſet de cornu reſtituendo intra ſpatium
1535. bimeſtre. Mandatum *Mariæ* eſt de 6. Septembr. 1535. apud Matth. Fund. & Fata p. 148. Epiſtolam *Hermanni* Decani hac de re dedit Matth. in Syllogo Epiſtol. Alciati aliorumque p. 331. quæ legi meretur. Eodem anno factus eſt Vicarius generalis *Georgii Egmondani* Epiſcopi Ultrajectini, a quo an-

no

no 1538. una cum *Joanne vander Vorſt* Decano Majoris, miſſus fuit Coloniam ad *Hermannum* Electorem & Archiepiſcopum, qui ſuffraganeos ſuos convocarat occaſione Concilii generalis a *Paulo* III. Mantuæ primum indicti, poſt Vincentiam translati. V. Heuſſen. Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 533. 1538.

Hermannus de Gauda fuit Doctor Sorbonicus & quidem primarius, Valerio Andrea teſte, & vir ſingulari doctrina, pietate & morum gravitate: quo etiam nomine eidem ab Eraſmo in Epiſtola ad *Nicolaum Everardum* Hollandiæ Præſidem inſigne elogium poſitum eſt: *Hermannus quum antequam ſtadium Theologicum ingrederetur, feliciter eſſet auſpicatus græcarum ac bonarum, ut vocant, literarum notitiam, ita ſe geſſit in hoc curſu Sorbonicæ Theologiæ, ut omnium punctis primas meruerit, idque in ea Schola, quæ ſine controverſia in hoc ſtudiorum genere ſemper primas tenuit. Neque vero tantum eſt inſtructus argutiis illis, quibus in Scholis velitantur; nihil Conciliorum, nihil hiſtoriarum, nihil veterum Theologorum non excuſſit, atque adeo habet in promptu. Ingenium velox ac rapidum, diſcendi aviditas inexplicabilis, judicium præſens & expeditum; quodque in hoc genere rarum eſt, nihil habet arrogantiæ, nihil bilis, nihil ſupercilii.* Plura ſequuntur quæ legi poſſunt in epiſt. 604. novæ editionis Operum Eraſmi. tomo 3. part. 1. col. 675. Eſt autem ſcripta anno 1521. *Vigilius*, ex aliorum judicio, ſcripſit, *Hermannum plus ſatis fuiſſe cerebroſum.* Vide inter *Epiſtolas ſelectas* unam ad *Granvellanum* datam 1. Febr. 1550. ſup. tom. 2. pag. 344.

Drakenburgius anxie diſquirit de anno obitus ejus, neſciens hominem eruditum fuiſſe & ſcriptis clarum, de quo proinde conſulendus erat Val. Andr. in Biblioth. Belg. ubi p. 382. notat, *Hermannum* obiiſſe Ultrajecti anno 1555. die S. Nicolao ſacra, 6. Decembris, ætatis 63. decanatus 25. ſepultum vero in medio templi B. Mariæ e regione chori, ſub ſarcophago, cui lamina ærea cum inſcriptione impoſita fuit, militum ibidem hoſpitantium inſolentia detracta; ſupereſſe inſcriptionem ejus e fratre nepotis quæ nihil ad nos. Lucubrationes *Hermanni* ibi recenſet Valerius.

In Catalogo Heſſelii, quem citat Drakenb. *Hermanno* ſucceſſor datur *Adrianus de Reneſſe de Wulven* anno 1556. qui e vita diſcedens 7. Decembr. 1559. locum feciſſet *Joanni*

van den Vecht eodem anno, qui dein Epiſcopus Harlemenſis factus, decanatum dimiſiſſet. Verum nec *Reneſſius*, nec *Vechtius* Decani B. Mariæ, præterquam quod *Vechtius* numquam Harlemenſis Epiſcopus fuerit. Et hic Drakenburgio per omnia conſentio.

An. 1555. XXVIII. Nicolaus de Novaterra alias *Nieulant*, Egmondanus, Epiſcopus Hebronenſis & ſuffraganeus *Georgii Egmondani* Ultrajectenſis Epiſcopi LX. & penultimi, præbendam & decanatum ædis S. Mariæ a *Philippo* Hiſpaniarum Rege, reluctante etiam Capitulo, accepit anno 1555. inquit Matth. de Nobil. p. 191. pag. ſeq. exhibens documentum ineditum, quod a Drakenburgio poſtea viſum, jam ſcitur eſſe de die 18. Martii 1555. Fuit primus Epiſcopus Harlemenſis, nominante Rege, & *Pio IV.* confirmante anno 1561. Quantumvis Epiſcopus obtinuit decanatum, uti Drakenbur-
1562. gio viſum ad an. 1562. quem tamen reliquit eodem anno die 17. Septembr. ex MS. Brockii. Etiam Epiſcopatum dimiſit ob adverſam valetudinem, & menſe Majo an. 1580. obiit depoſitus ad S. Servatium Ultrajecti, ante ſummum altare. Valer. Andr. in Biblioth. Belg. p. 694. Fuit conſecratus Epiſcopus Hebronenſis in Abbatia Viconienſi per ipſummet *Georgium Egmondanum* Epiſcopum Ultrajectinum, die xi. Septembr. an. 1541. aſſiſtentibus *Nicolao de Burellis*, alias *Bureau*, ex Ord. FF. Minor. aſſumpto, Epiſcopo Sareptano ac ſuffraganeo Tornacenſi, & *Paſſchaſio Maupayets*, ex Ord. FF. Prædicat. aſſumpto, Epiſcopo Salubrienſi, ac ſuffraganeo Atrebatenſi. Acta Conſecrationis exſtat in Libro cui titulus: *Epiſtolæ Gervaſii Præmonſtratenſis Abbatis, per Norbertum Caillieu*, Priorem Archimonaſterii Præmonſtratenſis, in 4. Valencenis apud Joannem Boucher an. 1663. pag. 140. In hac acta vocatur *Nicolaus*, Canonicus *de Gorcom*, Electus Ebronenſis. Fuit *Gorcomii* Eccleſia Collegiata XII. vel ut alii, XIV. Canonicorum, S. Martyri *Vincentio* ſacra. De hac ejus conſecratione non meminit Heuſſen. in Bat. Sac. nec in Hiſt. Epiſc. Harlemenſ.

An. 1562. XXIX. Joannes van Hogelande filius *Gaſparis Levini* (qui primus a *Carolo V.* Cæſare, domino Ultrajectenſi, Senatus Ultrajectini Præſes conſtitutus fuit) & *Agathæ* van Nieu-

Nieuwerkerk, fuit theſaurarius B. Mariæ, & media permutatione Decanus factus eſt 24. & 25. Junii anno 1562 uti ex MS. Brockii & ex Catal. Decan. & Canon. adfert Drakenb. Interfuit Concilio provinciali ſub *Schenckio* Archiepiſcopo, & ſubſcripſit anno 1565. Heuſſenius in Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 1565.
330. col. 2. dedit Chartam anni 1568. in qua *Joannes ab* 1568.
Hoghelande U. J. Doctor, decanus & eccleſiæ B. Mariæ Theſaurarius, Regiæque Majeſtatis in curia provinciali Trajectenſi conſiliarius principalis, nomine decanatus ſui confert eccleſiam parochialem de *Alblaſſerdam*, Dordracum inter & Roterodamum, & proviſum remittit ad Præpoſitum Majoris pro inſtitutione canonica & cura animarum. In honore fuit & in amore *Schenckio* Archiepiſcopo: cujus rei documentum eſt inſignis epiſtola a præſule ad *Joannem* Decanum data 4. Aprilis 1566. quam inter Clarorum Virorum Epiſtolas vulgavit Si- 1566.
mon Abbes Gabbema pag. 262. Obiit Ultrajecti die 9. Decembris 1578. apud Matth. de Nobil. p. 647. & Drakenb.

Decanus *Hogelandius* bonas litteras amavit, coluit & promovit. Fuit fautor & Mecænas *Lamberti Hortenſii* (dubiæ fidei hominis, inter Papismum & Lutheranismum fluctuantis ut eſt in ejus vita) quem extorrem & omnibus bonis exutum a militibus Hiſpanis, in *Nardæ* direptione, hoſpitio, domo, & menſa excepit. Huic Hortenſius *Explanationes* ſuas *in Annæi Lucani Pharſalicam*, accepti beneficii memoriæ nec non gratitudinis ergo, poſtmodum dedicavit, quæ Baſileæ anno 1578. excuſæ ſunt in fol. *Succeſſionum civilium Ultrajectenſium libros VII.* perſuaſione potiſſimum Decani noſtri conſcripſit. *Vita Lamb. Hortens.* ad calcem hiſtoriæ Ultr. Bekæ, Hedæ &c.

XXX. LAMBERTUS VAN DER BURCHIUS Mechli- An.
nienſis, filius *Adriani*, Equitis, & Regii per Flandriam Se- 1578.
natus præſidis, & *Barbaræ van Schore.* Natus eſt 10. Auguſti anno 1542. Donatur canonicatu in eccleſia B. Mariæ anno 1555. & die 9. Decembris 1578. electus eſt Decanus, cum eodem die, nimirum a media nocte computando, mortuus eſſet *Joannes Hogelandius*: & cum interdictum Senatus Ultrajectini de non eligendo, afferretur electione jam facta. Numquam invenire potui, quo tempore Rex *Philippus* aſſenſum

præ-

præbuerit. Drakenb. Matth. de Nobil. p. 648. Valer. Andr. Biblioth. Belg. p. 161. Paucis poſt acceptam dignitatem diebus, cum inter Ordines Provinciæ Ultrajectinæ uti Decanus compareret, Religionem ruentem fulcire cum ſuis annixus
1579. eſt; ſed fruſtra, & die 26. Januarii an. 1579. Unioni Ultrajectinæ, fruſtra repugnans, jubente Capitulo, ſubſcripſit. Rem deploravit, & conſignavit litteris quas publicavit Matth. Fund. & Fata p. 144. Occurrit ad an. 1581. apud Heuſſen. Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 536. col. 2. Menſe Martio
1582. 1582. ipſe, & cum eo eccleſiaſtici omnes ab Ordinibus moti ſunt: quo tempore cum ageretur de eccleſia B. Mariæ funditus diruenda, oppoſuit ſe *Lambertus*; cui debetur totum id, & ejuſdem induſtriæ, quod incolumis adhuc ædes hodie. Nec impenſis pepercit, nec ſtudio, nec operæ, ut ſervaret ruinæ proximam, denudatam interim omni plumbo, quo operta fuerat, & niſi ipſe ſubveniſſet, alioquin perituram. Viri zelum & labores cognoſce in libello ejus: *Ædis divæ Mariæ virginis in civitate Ultrajectenſi admiranda origo.* Hic jam rariſſimus eſt, unum tamen exemplar teneo. Sed de hac re ita ſcribit. Matth. ipſe Fund. & Fata p. 143. „ Poſtquam „ autem denudata, cùm vim tempeſtatis ſentiret & pluviæ, „ & multum indies detrimenti a procellis acciperet, multa „ tandem inſtantia & apud magiſtratum & apud Principem „ Auriacum cum impetraſſent canonici, ne, ut pridem jam „ decretum, ſolo diruta æquaretur, mox etiam impetrarunt, „ ut liceret rurſum operire eam adverſus cæli injuriam. Id „ quod cum cæpiſſet non ſine magnis impenſis menſe Junio „ incipiente, impletum & abſolutum eſt ſequenti anno in „ fine Paſchæ, ſingulari induſtria, adhibente in id multum „ operæ eodem *Van der Burch*, ejuſdem ædis Decano. Et „ hactenus quidem *Lamberto* res ex voto ſucceſſit ſed male „ id ipſum dein habuit, male id omnes Pontificios, quod „ templum ipſius opera ſervatum ſic & reſtitutum purior „ mox religio occupatum detinuit, Reformatis ad conciones „ & alia pia exercitia a magiſtratu conceſſum. Prima concio „ ibi habita Veneris XXX. Julii ann. 1585. Quod ſi præſciſ- „ ſet, aut futurum aliquando id divinaſſet *Lambertus*, nec „ labores, nec ſumptus, quos in templum id inſumpſit, in-

„ ſumpſiſſet

„ ſumpſiſſet fortaſſis, homo omni conatu religionem Pontifi-
„ ciam, quantum poſſet, propugnans ".

Ob hoc in rem Catholicam ſtudium, Decanus & frater ejus *Adrianus*, Senatus Ultrajectini graphiarius, *Bucho a Montzima*, pluresque inſigniores Catholici, laici & clerici die 31. Julii 1586. citra ullum proceſſum, & fruſtra oblatis querelis; a *Leyceſtrio* Comite, urbe pulſi ſunt, ut narrat Matth. ipſe de Jur. Glad. p. 615. Drakenb. Borrius de orig. Belg. tumult. lib. 21. p. 731. Rediit ab exilio, incompertum quo anno.

Aliud pietatis Catholicæ monumentum refert Matth. Analect. tom. 5. p. 523. de repoſitis in monumentum oſſibus *Conradi Suevi*, Epiſcopi Ultrajectini XXII. qui obiit juxta Bockenberg. anno 1099. adjecto elogio quod adſcribendum putavi: *Eruta anno Domini* CIↃ. IↃ. LXXX. *ſub Martii menſis initium Conradi Epiſcopi Ultrajectenſis, hujus Divæ Virginis Sacræ ædis fundatoris, ex arca plumbea, in qua ſeculis paulo minus quinque pacifice quieverant, peſſimorum quorumdam hominum, non in vivorum ſolum, ſed mortuorum etiam corpora, inſano quodam furore debacchantium, impiis manibus, oſſa, & varie diſperſa projectaque, Decanus & canonici ejuſdem Sacræ ædis, ut optime de ſe totoqne ſuo collegio & provincia hac univerſa, merito patrono, gratiam aliquam reponerent, in unum denuo collecta, & hactenus in ciſtula lignea diligenter pieque aſſervata, in priſtinum hunc quietis locum IV. Cal. Octobr. Ann.* 1592. *devotis animis repoſuerunt, teſte me Lamberto van der* 1592.
Burch ædis ejusdem Decano, qui propria mea manu hæc ſcripſi. Vide plura de viro Catholico & zeloſiſſimo apud Matth. Fund. & Fata p. 148.

Obiit *Decanus van der Burchius* anno 1617. Kal. Septembr. 1617.
annos natus 75. dies 8. ſepultus in navi eccleſiæ ſuæ ſub ſarcophago, quem ſibi mortalitatis memor poni curavit. Valer. Andr. qui recenſet ejus lucubrationes. Erat patruus *Henrici Franciſci van der Burchii*, qui prius Decanus Eccleſiæ Metropolitanæ Mechlinienſis, dein Epiſcopus Gandavenſis, tandem Archiepiſcopus Cameracenſis evaſit. Exſtant aliquot *Lipſii* Epiſtolæ ad *Lambertum* Decanum apud Gabbema ſæpe citatum. Et inter *Epiſtolas illuſtrium Virorum* collectas per *Petrum Burmannum* tomo. 1. pag. 498. & præced.

Atque hîc concludo ſeriem tum Decanorum B. Mariæ, tum prælatorum Ultrajectenſium omnium, quos quidem ſcio Catholicis temporibus præfuiſſe. Is qui agmen clauſit, dignus fuit loco ſuo.

Ex hoc meo Catalogo patet, quantum debeamus *Antonio Matthæo* Ant. fil. Ultrajectino, in Academia Lugduno-Batavâ Juris Anteceſſori, qui quamvis Acatholicus, Catholicis tamen & temporibus & rebus excutiendis magnam partem ætatis trivit, & fere innumera rei Catholicæ Ultrajectinæ monumenta e ſitu eruit, & publici juris fecit: magno certe commodo noſtro, omniumque qui tanguntur rebus ſacris Eccleſiæ Ultrajectinæ. Libri ab illo editi, viginti voluminibus, in paucorum manibus ſunt, & aliqui vix reperibiles, quamvis non ita pridem vulgati. Habemus igitur viro laborioſo & intelligenti gratiam.

Sed diſſimulare non poſſumus æſtum impotentem quo ſæpe abreptus fuit contra religionem Catholicam, & cujus me piguit & miſertum eſt ſæpius, quantumvis hominem eruditum ſane & cetera elegantem ſuſpicerem atque amarem. Hæſi fateor nonnumquam, & non ſine ſtupore mecum reputavi, fieri quî potuerit, ut vir liberalibus diſciplinis & bonis litteris tam excultus, tam illiberales voces, & tam non bona verba in Catholicam religionem jacere, & e calamo ſuo potuerit extrudere: quorum pudeat Acatholicos omnes qui viri probi ſint. Adducam ſpecimina duo dumtaxat, ſine ullo meo commentario.

In tertio tomo Analectorum dedit viginti & duo vetera teſtamenta. Decimum & quartum teſtamentum eſt *Wilhelmæ* dominæ *de Montfoort* anni 1506. quæ præter varia anniverſaria & memorias menſtruas a ſe fundatas pro refrigerio animarum multorum illuſtriſſimæ familiæ Montfortianæ, inſtituit etiam *miſſam* quotannis *cantandam* ad altare S. Annæ, die ejus feſto, idque in eccleſia Collegiata Naalwycenſi. Hic adeſt A. Matthæus, qui ſequentem apponit gloſſam: *Variæ olim miſſæ. Carior, quæ cum cantu, ut & carior, quam Prælatus, quam præſul dicit aut Abbas. Sleyden lib. 9. Hiſt. Nec mirum. Et meretrices ſic ſolent. Quo quæque eſt ornatior, quo comptior, & eo carius turpitudinem ſuam vendit. Tanti autem nonnullis miſſa, ut quod debetur ex hac cauſa omne creditum præcedat,*

cedat, ut docet domina d'Aunay Itin. Hiſp. 1. *epiſt.* 5. Hæc verba ſunt Analect. tom. 3. p. 467.

LAMBERTUS VAN DER BURCHIUS de quo jam ſtatim, admirandam ædis B. Mariæ Ultrajecti originem enarrans, vulgatam illam adfert Hiſtoriam de *Henrico IV.* Imperatore, qui poſt expugnatum Mediolanum hanc ædem exſtruxiſſet Ultrajecti, * quòd ejus miles ſimilem Mediolani flammis abſumpſiſſet, ſed inſcio Imperatore. Quod ultimum ut confirmaret *Lambertus* addidit, *Henricum IV.* Principem fuiſſe ſingulari pietate & cultus divini aſſertorem acerrimum. Ad hæc ita notat Matthæus: *Nebulo ergo Papa, qui eum excommunicavit, & per quem factum, ut Leodii poſt mortem ſteterit inhumatus adhuc totum quinquennium.* Vide ſyllogen Epiſt. Alciati & aliorum pag. 409.

* Totam Hiſtoriam Henrico V. non. IV. tribuendam judicavit Matth. *Fund. & Fata eccleſ. p.* 133.

FINIS.

PRÆPOSITI

QUINQUE ECCLESIARUM ULTRAJECTENSIUM ORDINE ALPHABETICO.

S. ADalbertus *Majoris.*	740.
Adelhardus *S. Salvatoris.*	1085.
Adelricus *S. Joannis.*	1108.
Ademarus de rupe *S. Salv.*	1381.
Adolphus de Rutenberch ſenior *B. Mariæ.*	1452.
Adolphus de Rutenberch Junior *B. Mariæ.*	1493.
Adolphus de Waldege *B. Mariæ.*	1280.
Adolphus de Waldeck *Majoris.*	1280.
Adrianus Florentii *S. Salv.*	1514.
Alardus *S. Salv.*	
Alardus de Molendino *B. Mariæ.*	1393.
Albero *S. Petri.*	1139.
Albertus *S. Joan.*	1176.
Albertus Pighius *S. Joan.*	1535.
Alphardus de Lichtenberch *S. Salv.*	1400.
Andreas *S. Petri.*	1155.
Anſelmus *S. Joan.*	1085.
Ansfridus *Majoris.*	1063.
Ansfridus *S. Petri.*	1108.
Antonius Aſſeliers *B. Mariæ.*	1594.
Antonius de Hennin de Bouſſu *Majoris.*	1572.
Antonius Perenot de Granvelle *B. Mariæ.*	1530.
Arnoldus *Majoris.*	1169.
Arnoldus *S. Joan.*	1172.
Arnoldus Loeff de Ruweel *S. Joan.*	1331.
Arnoldus de Tricht *S. Joan.*	1383.
Arnoldus Booth *B. Mariæ.*	1145.
Arnoldus de Emeliſſe *B. Mariæ.*	1387.
Balduinus de Benthem *S. Petri.*	1258.
Balduinus de Hollandia *B. Mariæ.*	1155.
Bartholomæus van Waſſenaer *Majoris.*	1270.
Bernardus Comes Hannoniæ *B. Mariæ.*	1278.
Bertoldus *S. Salv.*	
Bertoldus *S. Petri.*	1330.
Blidgerus *S. Salv.*	1063.
Bucho a Montzima *S. Joan.*	1562.

Burchar-

Burchardus *B. Mariæ.*	1108.
Carolus Perenot de Granvelle *S. Joan.*	1543.
Claudius de Boiſot *Majoris.*	1529.
Conradus *Majoris.*	1143.
Conradus *B. Mariæ.*	1309.
Conradus *B. Mariæ.*	1428.
Conradus de Diepholt *B. Mariæ.*	1428.
Cornelius a Mierop *Majoris.*	1545.
Craſt *Majoris.*	838.
Engelbertus *ſeu* Giſelbertus de Horne *Majoris.*	1302.
Engelbertus de Yſenbroke *S. Petri.*	1267.
Engelbertus *B. Mariæ.*	1085.
Engelramus de Boenen *B. Mariæ.*	1327.
Egidius *B. Mariæ.*	1250.
Florentius de Hollandia *Majoris.*	1199.
Florentius de Jutphaes *Majoris.*	1311.
Focco *Majoris.*	1046.
Fredericus van Zieric *S. Petri.*	1294.
Fredericus Schenck a Tautenburch *S. Petri.*	1529.
Gerardus de Reden *S. Joan.*	1318.
Gerardus Wit *aliàs* Soudenbalch *B. Mariæ.*	1310.
Ghiſelbertus *S. Joan.*	1208.
Gisbertus Cock *Majoris.*	1378.
Gisbertus de Brederode *Majoris.*	1437.
—— —— —— Idem *S. Salv..*	1443.
Gisbertus de Stoutenborch *S. Joan.*	1492.
Giſelbertus *B. Mariæ.*	1274.
Giſelbertus de Amſtelle *B. Mariæ.*	1282.
Giſelbertus *B. Mariæ.*	1313.
Gobertus de Perweys *Majoris.*	1249.
Gocelinus *S. Salv.*	1176.
Godebaldus *S. Joan.*	1105.
Godefridus Rhenenſis *Majoris.*	1154.
Godefridus *Majoris.*	1156.
Godefridus *S. Petri.*	1169.
Goswinus de Amſtelle *S. Joan.*	1224.
Gotſelurus *S. Salv.*	
S. Gregorius *Majoris.*	752.
Guilielmus Enckevort *S. Salv.*	1525.
Hardbertus *Majoris.*	1130.
Henricus de Mierlaer *Majoris.*	1337.
Henricus Comes Gelriæ *S. Salv.*	1247.
Henricus van Steenbergen *S. Salv.*	1390.
Henricus de Roever de Winſen *S. Petri.*	1449.
Henricus van den Ryn *S. Joan.*	1344.

Henricus Daisman *S. Joan.*	1469.
Henricus de Tegelen *B. Mariæ.*	1318.
Henricus Raescop *B. Mariæ.*	1436.
Hermannus *S. Salv.*	1101.
Hermannus Comes de Renneburg *S. Salv.*	1566.
Hermannus *S. Joan.*	1125.
Hubertus de Amersfoorde *B. Mariæ.*	1290.
Hugo *B. Mariæ.*	1131.
Jacobus de Zierick *Majoris.*	1433.
Jacobus *S. Salv.*	1243.
Jacobus Pamelius *S. Salv.*	
Jacobus van Lichtenberch *S. Petri.*	1410.
Jacobus Simonetta *S. Petri.*	1523.
Jacobus de Lichtenberch *S. Joan.*	1320.
Joannes de Montfoort *Majoris.*	1399.
Joannes Slacheck *Majoris.*	1530.
Joannes de Bronckhorſt *S. Salv.*	1315.
Joannes de Fliſco *S. Salv.*	1381.
Joannes Goch *S. Salv.*	1551.
Joannes Schade *S. Petri.*	1449.
Joannes de Burgundia *S. Petri.*	1476.
Joannes de Heesboom *S. Petri.*	1478.
Joannes *S. Joan.*	1292.
Joannes Siac van Lochum *S. Joan.*	1341.
Joannes Miles *S. Joan.*	1465.
Joannes Nys de Borſſalia *S. Joan.*	1471.
Joannes Ingenwinckel *S. Joan.*	1506.
Joannes de Reneſſe *S. Joan.*	1596.
Joannes de Croy *B. Mariæ.*	1300.
Joannes ab Oratorio *B. Mariæ.*	1340.
Joannes ab Altavilla *B. Mariæ.*	1360.
Joannes a Buren *B. Mariæ.*	1416.
Joannes de Lovanio *B. Mariæ.*	1429.
Joannes Albertus Marchio de Brandenburch. *B. Mariæ.*	1521.
Joannes Slacheck *B. Mariæ.*	
Joannes Fonck *B. Mariæ.*	1570.
Jordanus *S. Salv.*	1164.
Judocus van Wittenhorſt *B. Mariæ.*	1579.
Lambertus *S. Salv.*	
Lambertus *S. Salv.*	1169.
Lanzo *Majoris.*	1085.
Litardus *Majoris.*	1116.
Litardus *B. Mariæ.*	1125.
Ludolphus *Majoris.*	1101.
Ludovicus *Majoris.*	1205.

Ludo-

Ludovicus *S. Salv.*	
Ludovicus *S. Salv.*	1226.
Lugbertus *B. Mariæ.*	1155.
Luzo *S. Petri.*	1131.
Maximilianus Morillon *B. Mariæ.*	1561.
Mengodus *Majoris.*	1118.
Michael Enckevort *S. Salv.*	1528.
Nicolaus de Burgundia *S. Petri.*	1498.
Nicolaus de Steen *S. Joan.*	1311.
Odo *Majoris.*	1026.
Otto de Lippia *Majoris.*	1205.
Otto *S. Salv.*	1200.
Pelegrinus de Reno *S. Petri.*	136. .
Petrus van den Steyne *S. Salv.*	1423.
Petrus Rogerius *S. Salv.*	1348.
Petrus Damantius *S. Salv.*	15. . .
Petrus Verbeeck van Geldorp *S. Petri.*	1523.
Petrus de Velde *S. Joan.*	1363.
Philibertus Naturelli *Majoris.*	1500.
Philibertus Almeloe *S. Salv.*	1311.
Proſper Columna *Majoris.*	1430.
Rabanus *Majoris.*	1425.
Raynardus *S. Joan.*	1138.
Regenbaldus *Majoris.*	943.
Remboldus *B. Mariæ.*	1200.
Reymarus *S. Petri.*	1228.
Ricoldus van Heeswyck *S. Petri.*	1336.
Robertus de Bergis *S. Salv.*	1557.
Rodolphus *S. Joan.*	1118.
Rodulphus *Majoris.*	1101.
Rudolphus *S. Petri.*	1085.
Rudolphus de Yſendooren *S. Petri.*	1380.
Simon van der Sluys *Majoris.*	1474.
Stephanus de Beuſichem *S. Petri.*	1282.
Stephanus de Rumelaer *S. Joan.*	1496.
Stephanus de Zuylen *B. Mariæ.*	1310.
Suederus de Uterloe *Majoris.*	1363.
—— —— —— —— Idem. *S. Petri.*	1352.
Suederus de Culemburch *Majoris.*	1414.
Symon *Majoris.*	1174.
Themo *S. Salv.*	1138.
Theodoricus de Hollandia *Majoris.*	1178.
Theodoricus de Randerode *Majoris.*	1225.
Theodoricus de Wickenrade *Majoris.*	1340.
Theodoricus de Horne *Majoris.*	1304.

Theo-

Theodoricus de Horne *S. Salv.*	1293.
Theodoricus de Wickenrode *S. Salv.*	1271.
Theodoricus de Altena *S. Salv.*	1281.
Theodoricus *S. Petri.*	1118.
Theodoricus de Waſſenaer *S. Joan.*	1422.
Theodoricus de Benthem *B. Mariæ.*	1406.
Udo *Majoris.*	1050.
Walterus *S. Salv.*	1217.
Walterus *S. Petri.*	1196.
Walterus de Bloemendael *S. Petri.*	1350.
Walterus de Gouda *S. Petri.*	1455.
Walterus van Kerckhoven *S. Petri.*	1569.
Wigerus *S. Petri.*	1221.
Wilbrandus *Majoris.*	1224.
Wilhelmus Gerbrandi de Coulſter *Majoris.*	1391.
Wilhelmus Eggert *S. Salv.*	1417.
Wilhelmus de Montfoort *S. Salv.*	1457.
Wilhelmus de Alendorp *S. Petri.*	1580.
Wilhelmus de Amſtelle *S. Joan.*	1276.
Wilhelmus Ellagranus *S. Joannis.*	1489.
Wilhelmus de Iſelſtein *B. Mariæ.*	1324.
S. Wolbodo *Majoris.*	1016.
Wolterus *B. Mariæ.*	1228.

D E C A N I

QUINQUE ECCLESIARUM ULTRA-JECTENSIUM ORDINE ALPHABETICO.

ACelinus *Majoris.*	1155.
Adriauus de Reneſſe *Majoris.*	1549.
Adrianus de Zuylen *S. Joan.*	1565.
Ahmelius *Majoris.*	1267.
Amelius *Majoris.*	1250.
Amelius a Suylen a Nievelt *Majoris.*	1526.
Ancelmus *S. Joan.*	1139.
Andreas *B. Mariæ.*	1220.
Anſelmus *Majoris.*	1154.
Arnoldus *Majoris.*	1164.
Arnoldus de Foreſto *Majoris.*	1297.
Arnoldus Pot *alias* de Lange *S. Petri.*	1386.
Arnoldus van Dorp *S, Petri.*	1433.
Arnoldus van Culemborch *S. Joan.*	1390.
Arnoldus *B. Mariæ.*	1130.
Bernardus de Teyla *B. Mariæ.*	1483.
Conradus *S. Joan.*	1155.
Cornelius a Mierop *S. Salv.*	1535.
Daniel Verheyde *S. Joan.*	1559.
Egidius Panſier *S. Salv.*	1318.
Egidius de Wiſſenkerc *S. Joan.*	1426.
Elias *vel* Helias *S. Petri.*	1204.
Engelbertus *Majoris.*	1081.
Enghelbertus *B. Mariæ.*	1248.
Erneſtus de Lichtenberch *B. Mariæ.*	1321,
Everardus Foeck *S. Salv.*	1390.
Everardus *ſeu* Gerhardus *S. Petri.*	1204.
Florentius de Jutphaas *S. Joan.*	1309.
Folcardus Montzima *S. Salv.*	1592.
Fredericus Oſſekyn *S. Salv.*	1343.
Fredericus Schenck a Tautenburch *S. Petri.*	1528.
Georgius de Solmis *S. Petri.*	1524.
——— — Idem alterâ vice *S. Petri.*	1529.
Gerardus de Wit *alias* Soudenbalg *Majoris.*	1312.
Gerardus Foeck *S. Salv.*	1371.
Gerardus de Suggerode *S. Salv.*	1527.
Gerardus *S. Petri.*	1310.

Gerardus de Turri *S. Petri.*	1512.
Gerardus *S. Joan.*	1121.
Gerardus *S. Joan.*	1176.
Gerardus de Reden *S. Joan.*	1297.
Gerardus Vrenck van Winſſen *S. Joan.*	1432.
Giſelbertus de Everdingen *Majoris.*	1324.
Giſelbertus *S. Petri.*	1282.
Giſelbertus *S. Joan.*	1196.
Giſelbertus *S. Joan.*	1225.
Gysbertus *S. Joan.*	1204.
Gocelinus *B. Mariæ.*	1176.
Godefridus Vetcoper *S. Joan.*	1395.
Godefridus van Waye *B. Mariæ.*	1451.
Guilielmus Vueſels *S. Petri.*	1570.
Henricus de Breda *Majoris.*	1234.
Henricus de Jutphaes *Majoris.*	1330.
Henricus de Weyda *Majoris.*	1348.
Henricus *S. Salv.*	1126.
Henricus Poſch *S. Salv.*	1271.
Henricus Houberch *S. Salv.*	1421.
Henricus *S. Petri.*	1200.
Henricus *S. Petri.*	1320.
Henricus Houberch *S. Petri.*	141...
Henricus van Loenreslooth *S. Joan.*	1322.
Henricus de Lotting *S. Joan.*	1494.
Henricus *B. Mariæ.*	1200.
Henricus *B. Mariæ.*	1293.
Henricus Soudenbalch *B. Mariæ.*	1514.
Hermannus de Lochorſt *Majoris.*	1400.
Hermannus *S. Salv.*	1155.
Hermannus *S. Salv.*	1166.
Hermannus de Lochorſt *S. Salv.*	1483.
Hermannus *S. Petri.*	1155.
Hermannus de Reno *S. Petri.*	1474.
Hermannus *S. Joan.*	1294.
Hermannus de Gouda *alias* Lethmaticus *B. Mariæ.*	1530.
Hermannus *B. Mariæ.*	1108.
Hermannus Droom *B. Mariæ.*	1458.
Hugo *S. Petri.*	1226.
Hugo Braem *B. Mariæ.*	1458.
Jacobus de Outshoorne *Majoris.*	1312.
Jacobus de Appelteren *Majoris.*	1509.
Jacobus *S. Petri.*	1318.
Jacobus Uten-Engh. *S. Petri.*	1541.
Jacobus Ruſſus *S. Joan.*	1259.

Jaco-

Jacobus Goeyer *B. Mariæ.* 1435.
Joannes Proeys *Majoris.* 1438.
——— Idem alterâ vice *Majoris.* 1455.
Joannes vander Vorſt *Majoris.* 1529.
Joannes vanden Vecht *Majoris.* 1560.
Joannes Bruchefius *Majoris.* 1573.
Joannes Visker *S. Salv.* 1307.
Johannes *S. Petri.* 1147.
Joannes de Tuernoet *S. Petri.* 1326.
Joannes Romaer *S. Petri.* 1340.
Joannes de Galencoep *S. Petri.* 1426.
Joannes Gerardus *S. Petri.* 1430.
Joannes Bogaert *S. Petri.* 1580.
Johannes de Perwys *S. Joan.* 1247.
Joannes de Vyanen de Jaersvelt *S. Joan.* 1468.
Joannes Martyn *S. Joan.* 148...
Joannes de Ryl *S. Joan.* 148...
Joannes van Reneſſe *S. Joan.* 1599.
Joannes van Slewyck *B. Mariæ.* 1336.
Joannes van Steenwyck *B. Mariæ.* 1340.
Joannes Witt de Delff *B. Mariæ.* 1393.
Joannes van Hogelande *B. Mariæ.* 1562.
Jordanus *B. Mariæ.* 1164.
Lambertus *S. Salv.* 1163.
Lambertus vander Burch *B. Mariæ.* 1578.
Laurentius Adam *B. Mariæ.* 127...
Lubbertus *Majoris.* 1118.
Lubbertus Bolle *Majoris.* 1373.
Lubbertus *S. Salv.* 1134.
Ludolphus de Veno *Majoris.* 1471.
Lutbertus *S. Petri.* 1131.
Matthæus *S. Salv.* 1313.
Nicolaus de Velde *B. Mariæ.* 127...
Nicolaus Henricus van Luyck *B. Mariæ.* 1449.
Nicolaus de Nova terra *B. Mariæ.* 1555.
Otto *Majoris.* 1208.
Otto *B. Mariæ.* 1117.
Petrus de Dwarsdyck *Majoris.* 1255.
Petrus van Honthorſt *S. Salv.* 1605.
Petrus de Mera *S. Petri.* 1418.
Petrus Zuermont de Hinderſteyn *S. Petri.* 1455.
Petrus de Selve *S. Joan.* 1378.
Petrus de Leeuwenberch *B. Mariæ.* 1371.
Rabbotus *S. Joan.* 1118.
Raſo *S. Salv.* 1118.

Raynaldus Brancaccius *S. Joan.*	1393.
Reimboldus *Majoris.*	1205.
Remboldus *Majoris.*	1210.
Remboldus *B. Mariæ.*	1196.
Reynerus van Vianen *S. Joan.*	1380.
Robertus de Lacu *B. Mariæ.*	1476.
Rudolphus *S. Salv.*	1169.
Rudolphus *B. Mariæ.*	1155.
Rudolphus de Borch *B. Mariæ.*	1326.
Rutgerus Utenweerde *S. Salv.*	1339.
Sigboldus *Majoris.*	943.
Sicco *S. Salv.*	1081.
Stephanus de Schalckwyck *Majoris.*	1289.
Stephanus de Boſichem *Majoris.*	1322.
Stephanus *S. Petri.*	1271.
Stephanus de Rumelaer *S. Petri.*	1492.
Theodoricus *Majoris.*	1176.
Theodoricus Grawert *S. Salv.*	1456.
Theodoricus Utenweert *S. Salv.*	1477.
Theodoricus *S. Petri.*	1130.
Theodoricus *S. Joan.*	1220.
Thomas de Nykerken *Majoris.*	1528.
——— — Idem *S. Joan.*	1525.
Thomas Urſinus *S. Joan.*	1389.
Tielemannus Oem *S. Petri.*	1343.
Tilemannus Brant *S. Joan.*	1429.
Tietbaldus *S. Petri.*	1081.
Walterus Grawert *S. Salv.*	1437.
Watzo *S. Joan.*	1131.
Weſelinus *S. Joan.*	1081.
Wichardus *S. Salv.*	1130.
Wilgerus a Moerendael *S. Petri.*	1592.
Wilhelmus Clauwert *Majoris.*	1307.
Wilhelmus Buſer *Majoris.*	1396.
Wilhelmus de Hees *Majoris.*	1449.
Wilhelmus *S. Salv.*	12...
Wilhelmus Taitz de Amerongen *S. Salv.*	1562.
Wilhelmus de Zyll *S. Petri.*	1380.
Wilhelmus Heda *S. Joan.*	1496.
Wilhelmus de Bocholt *S. Joan.*	1556.
Wolframmus *S. Salv.*	1224.
Wychardus *S. Salv.*	1105.

Inter

Inter hos Prelatos Eccleſiæ Ultrajectinæ ſunt.

Pontifices Romani duo.

PEtrus Rogerius Præpoſitus S. Salvatoris, qui fuit	Gregorius PP. XI.	1370.
Adrianus Florentii Præpoſitus S. Salvatoris qui fuit	Adrianus PP. VI.	1522.

Cardinales Octo.

PRoſper Columna Præpoſitus Majoris.	Cardinalis Diaconus S. Georgii ad velum aureum.	1426.
Joannes de Fliſco Præpoſitus S. Salvatoris	Cardinalis Presbyter S. Marci.	1379.
Guilielmus Enckevortius Præpoſitus S. Salvatoris	Cardinalis SS. Joannis & Pauli.	1522.
Jacobus Simonetta Præpoſitus S. Petri	Cardinalis S. Apollinaris.	1535.
Antonius Perenot de Granvelle Præpoſitus B, Mariæ	Cardinalis S. Petri ad vincula.	1561.
Petrus de Selve Decanus S. Joannis	Cardinalis S. Anaſtaſiæ.	1356.
Thomas Urſinus Decanus S. Joannis.	Cardinalis Diaconus S. Mariæ in Dominica.	1381.
Raynaldus Brancaccius Decanus S. Joannis.	Cardinalis Diacon. SS. Viti & Modeſti.	1384.

Archiepiſcopi & Epiſcopi viginti & tres.

S. GRegorius Præpoſitus *Majoris.*	Ultraject.	752.
S. Wolbodo Præpoſitus *Majoris.*	Leodienſis	1017.
Conradus Præpoſitus *Majoris.*	Patavienſ.	1148.
——— Idem.	Salisburg	1164.
Godefridus Rhenenſis Præpoſitus *Majoris.*	Ultraject.	1156.
Theodoricus de Hollandia Præp. *Majoris.*	Uitraject.	1198.
Otto de Lippia Præpoſ. *Majoris.*	Ultraject.	1213.
Wilbrandus Præpoſitus *Majoris.*	Paderborn.	1225.

Wilbrandus Idem.	Ultraject.	1226.
Adolphus de Waldeck Præpoſ. *Majoris.*	Ultraject.	1301.
———————————— Idem.	Leodienſis	1301.
Suederus de Culemborch Præpoſ. *Majoris.*	Ultraject.	1424.
Rabanus Præpoſitus *Majoris.*	Spirenſis	
———————— Idem.	Trevirenſ.	
Jacobus de Zierick Præpoſ. *Majoris.*	Trevirenſ.	1439.
Gisbertus de Brederode Præpoſ. *Majoris.*	Ultraject.	1455.
Henricus Comes Gelriæ Præp. *S. Salv.*	Leodienſ.	1247.
Robertus de Bergis Præp. *S. Salv.*	Leodienſ.	1557.
Fredericus van Zierick Præp. *S. Petri.*	Ultraject.	1317.
Fredericus Schenck a Tautenburch Præp. *S. Petri.* Ultraject.		1561.
Balduinus de Hollandia Præp. *B. Mariæ.*	Ultraject.	1178.
Maximilianus de Morillon Præp. *B. Mariæ.*	Tornacenſ.	1583.
Jacobus de Outshoorne Decan. *Majoris.*	Ultraject.	1322.
Nicolaus de Nova terra Decan. *B. Mariæ.*	Harlemenſ.	1561.
Litardus Præpoſ. *B. Mariæ.*	Cameracenſ.	1131.
Joannes Gerardus Decan. *S. Petri.*	Gebeldenſ.	1430.
Goſwinus de Amſtelle Præp. *S. Joan.*	Ultraject.	1249.
Conradus de Diepholt Præp. *B. Mariæ.*	Oſnabrug.	1456.

CATALOGUS
ABBATUM SANCTI PAULI
ORD. S. BENEDICTI
IN
CIVITATE ULTRAJECTINA.

Ex MS. apud Editorem.

CATALOGUS ABBATUM S. PAULI.

MONITUM.

PRima fronte exiſtimavi hunc, quem edo, Catalogum, & integrum eſſe, & vetuſtum. Non eſſe vetuſtum ſuadent ea, quæ probationis loco adducuntur, quæ fere omnia legas apud Ant. Matthæum, ſed variis locis & linguis. An quis alium & quem exſcripſerit, haud facile dixeris. Matthæus vulgavit ſua ab anno 1688. *dumtaxat. Dedit & ipſe Catalogum quemdam, ſed minus integrum, nempe in Fund. & Fatis Eccleſiarum edit. anni* 1703. *ubi pag.* 203. *profitetur, ſe eum* confeciſſe ex Chartis & priſcis aliis monumentis . . . . in quo tamen non omnes, quotquot olim præfuerunt, ſed hi tantum, quos reperit, & quorum apud eum Chartæ. *Profert autem Abbates triginta. Et hunc Catalogum exſcripſit Heuſſenius in Hiſt. Epiſc. Ultraj. pag.* 96. *uno ampliorem Abbate. Hunc igitur noſtrum ex mſ. ſatis detrito & olido, Abbates ſeptem ac triginta complectentem, cum nonnullis obſervationibus meis exhibeo.*

Porro de hujus Abbatiæ origine ſeu fundatione, ejuſque fato, non eſt hic dicendi locus. Id præſtitit accuratè Ant. Matthæus Fund. & Fata Fund. XI. a pag. 192. *Quem Vide quoque in Tract. de Nobilit. lib.* 2. *Cap.* 37. *Rer. Amersfort. pag.* 7. 157. 189. 192. & 200. *Analect. tomo* 2. *novæ edit. pag.* 644. & 704. *Miræum tom.* 1. *Diplom. pag.* 53. *in initio col.* 1. & *tom.* 2. *pag.* 809. *Heuſſ. in Hiſtor. Epiſc. Ultraj. alioſque. Agitur hic de ſolis Abbatibus hujus Monaſterii, qui domi quidem clari, atque adeo in rei eccleſiaſticæ Ultrajectinæ antiquitate cognoſcenda utiles nobis fuerunt, ſed foris ab eruditione aut rebus geſtis celebres, non exſtiterunt.*

CATALOGUS.

I. WERINGERUS ſeu WERINHERUS, primus Abbas tempore Adelbodi. [*Addit Matthæus:* „ Cujus ſu- „ pra in Charta meminit Imperator Conradus. " *Eamdem no-* *Uncinis incluſa ſunt ver-*

ba mea. Reliqua Auctoris Catalogi.

tam apponit Heuſſen. Hiſt. Epiſc. Ultraj. p. 96. *col.* 1. *& tamen Conradi Chartam non attulit. Dedit illam Matth. Fund. & Fata pag.* 194. *eſtque anni* 1028. *ubi ſcribitur* Werinherus.]

II. Adelbertus ſecundus, tempore Bernulphi, qui monaſterium intulit in Civitatem. [*Ita auctor noſter. Matthæus de Adelberto Abbate nihil. Joannes Beka in Bernulpho ita diſerte:* „ Abbatiam autem reverendi Patris Aufridi (*Epiſcopi, prædeceſſoris ſui, uno Adelboldo medio*) de monte Sancto * prope „ Amersfordiam Trajectum tranſtulit, ubi conventualem „ eccleſiam in honorem Sancti Pauli condidit. “ *Et conſonat Wilhelmus Heda:* „ Monaſterium antea per Anfridum Epiſco„ pum in monte Sancto conſtructum, tranſtulit in urbem, ubi „ & Eccleſiam ſub invocatione Sancti Pauli Apoſtoli ædificavit.

III. Gerricus tertius, & primus Abbas in Urbe. [*Matth. ſic:* „ Tertius Gerricus, & idem in urbe Primus, „ poſtquam facta eſt tranſlatio. “]

IV. Willibrandus, qui etiam Wibrandus. 1118. 1132. [*Matth. alterum nomen non novit, & alterum annum non expreſſit.*]

V. Hildebrandus, qui etiam Hildeboldus. 1170. 1173. 1178. [*Auctor rem non inutilem feciſſet indicando unde hauſerit. Accuratior Ant. Matthæus ita ſcribit:* „ Hildebran„ dus, cujus meminerunt & Wilhelmus Procurator, & Jo. „ de Beka ad Ann. 1173. & Jo. à Leidis lib. 18. Hiſt. c. 8. “ *Wilhelmi monachi & Procuratoris Monaſterii Egmondani Ord. S. Benedicti Chronicon Latinum exſtat in Ant. Matthæi Analectorum tomo* 2. *novæ edit. in* 4. *ubi vide ad pag.* 467. *Quæ de Hildebrandi Abbatis prædicatione ſcribit Wilhelmus Procurator, lego quoque in Chronico Magn. Belg. fol.* 202. *aliàs* 186. *quæ deſumpta ſunt ex Jo. de Beka in Godefrido. Matth. de Jur. Glad. citat Chartam anni* 1178. *in qua teſtis* Hildeboldus *Abbas Sancti Pauli.*]

VI. Henricus. [*Hic abeſt a Catalogo Matthæi, qui tamen omni dubio procul, ineſſe debet, uti apparet ex iis quæ ad proxime ſequentem Abbatem verba adferuntur. De tempore quo præfuit, nihil adnotavit auctor. Nudum nomen poſuit.*]

VII. Waldeverus. Godefrid. Monach. ad ann. 1196. Felicis memoriæ Henricus Abbas obiit, cui Waldeverus ſucceſſit, Abbas S. Pauli in Trajecto, antea monachus Eccleſiæ

* Vernacule: *Heilig-berg.*

cleſiæ noſtræ. [*Hæc iisdem plane apicibus A. Matthæus; unde mihi & ex infra recitandis ſtatuendum videtur, hunc Matthæi Catalogum, auctori noſtro viſum fuiſſe, non è contrario, hunc quem edimus Ant. Matthæo fuiſſe cognitum. Mirum porro, Ant. Matthæum, cùm hæc ex Godefrido monacho deſcripſit, non advertiſſe, Henricum Abbatem fuiſſe inſerendum. Nec id vidit Heuſſenius. Godefridi monachi Sancti Pantaleonis Coloniæ, Annales exſtant in Collectione Freheri tom.* 1. *pag.* 333. *edit. tertiæ.*

VIII. FREDHERICUS. 1226. [*Et hic ſolo nomine indigitatur in Catalogo noſtro, ab Matthæo omiſſus. Reperi illum, ſed ſerius, apud ipſummet A. Matthæum de Reb. Ultraj. pag.* 187. *nov. edit. in Charta Ottonis Epiſcopi ſuper controverſia decimæ de* Rewich *quam Decano S. Joannis adjudicat, & perpetuum Abbati ſilentium imponit, an.* 1226. *II. Nonas Februarii.*]

IX. HENRICUS, Dei gratia Abbas S. Pauli in Trajecto 1247. 1252. 1253. qui etiam *Heidenricus.* [*Ecce nunc Matthæi verba:* Henricus Dei gratia Abbas S. Pauli in Trajecto. Ann. 1552. *Unde pro certo habe, quod dixi ſtatim in Waldevero. Exſtat Charta* Heidenrici *Abbatis data IV. Kal. April. anno Domini M. CC. L. tertio, apud Matth. in notis ad incertum auctorem Rerum Amersfort. pag.* 197. *Et occurrit in Charta anni* 1247. *apud Matth. de Nobil. pag.* 401. *cui apponitur ejus ſigillum.*]

X. JOHANNES. Anno 1282. ex Regiſtro A. de Poelwyck Abbatis S. Pauli fol. 65. [*Novum argumentum, Catalogum hunc noſtrum non eſſe vetuſtum, imò recentiorem Matthæo, qui* Regiſtrum A. de Poelwyck *ſubinde citat. Et hæc ipſa verba pro* Johanne Abbate *allata, ex Matthæo forte deſumpta ſunt. Sed non vacat viginti volumina percurrere ut reperiantur. Interim habendæ ſunt auctori noſtro gratiæ, de reperto* Johanne, *qui Matthæi oculos, ſæpe atque diu fatigatos, fugerit.*] *Recte divinatum. V. De Jure Glad. p.* 113.

XI. HENRICUS *de* AMERSFOORDE. 1284. Iſte fuit fil. *Walteri*, frater *Huberti* Præpoſiti beatæ Mariæ. Obiit anno 1292. [*Vide ſupra Catalogum meum in Præpoſitis B. Mariæ n. XV. Suſpicor & hæc ex Matthæo deſumpta. Nam in Tract. de Jure Gladii, vulgato anno* 1689. *fol.* 113. *in fine, hæc lego:* Walteri (*de Amersfordia, militis*) filius Henricus Abbas S. Pauli, qui obiit anno 1292. *In Catalogo autem ſuo ſcripſit Matthæus:* Henricus van Amersfoort. Obiit ann. 1292. *Et recte. Nam in Rer. Amerſf. ſcript. p.* 18. *lego:* ex Camerario etiam Abbas S. Pauli deceſſit ann. 1292.]

XII. Henricus van der Wolfhage. Anno 1297. 1302. [*Conſonat Matthæus, niſi quod priorem annum non adnotet.*]

XIII. Joannes *de* Kleyne. 1305. [*Nihil addit auctor noſter. An neglexit ea quæ Matthæus adduxit? An vero revocandum, quod ſupra dixi, Matthæi Catalogum a ſe viſum?* Audi Matthæum: „ Hujus Charta adhuc exſtat ann 1306. ubi „ ita in fin. *Hier over waren beſcheyden ludē, die Prior van* „ *Sinte Pauwels, Heer Henric onſe Capellaen, monnike van* „ *onſen Godshuſe, Heer Dirc Pape van Rotterdamme, Adam* „ *van Lochorſt Ridder, onſe man* &c. Exſcribo verba hæc id- „ circo, quia alius invenitur Adamus van Lochorſt ann. 1047. „ Advocatus Monaſterii, *Beſchermer van Sinte Pauls*, ut „ Charta eſt ejus anni, & quia Henricus hic Capellanus is „ eſt haud dubie, qui Joanni ſucceſſit. " *Iſtud* haud dubie *probatum oportuit. Ego quidem id non video, ut ita pronuntiem ex his verbis. Videtur autem dicendum ex Regiſtro feudorum Abbatiæ S. Pauli, in notis ad auctorem incertum Rer. Amersfortens. pag.* 199. *&* 200. *ubi ſic:* Ende alle deſe voorſz. goederen met allen dat daer toebehoort heeft Heer *Adam* van *Lochorſt* Ridder, ende Heer Gerrit ſyn ſoon met geſamenderhant ontfangen van Heer *Jan* de *Klein* Abt. tot St. Pauls, daer God de ſiel of hebben moet, ende van *Henrick* van *Ryckele* die noch levet, in alle die rechten, daer Heer *Adam* ende ſyn Ouderen van den Godshuyſe haer toegebragt hebben.]

XIV. Henricus van Ryckele. ann. 1312. 1316. [*Conſonat Matthæus his verbis:* „ Henricus van Ryckele in „ Chartis an. 1312. 1316. Cui alius ejusdem nominis]

XV. Henricus ſucceſſit ann. 1321. de quo ita Wilhelmus Procurator: *Anno* 1321. *Venerabilis pater Dominus Henricus Abbas cœnobii Sancti Pauli Trajectenſis, malens ſibi utiliter proficere, quam inutiliter præeſſe, & intendere contemplationi, quam cotidianis cauſarum tædiis infeſtari, dignitatem reſignando, ſimplex monachus efficitur. Cujus loco vir piiſſimus etiam* Henricus *nomine confirmatur.* [*Hæc verba habes Analect. tom.* 2. *p.* 585. *novæ edit. in* 4. *Et eadem adfert Matthæus in Catalogo.*]

XVI. Henricus. Iſte ſubſcripſit Chartam Frederici de Blanckenheym 26 Februarii. 1322. Obiit 1326. [*Huic Abbati non dedit diſtinctum locum Matthæus in Catalogo ſuo. Sed verbis ad prædeceſſorem ex Wilh. procuratore allatis ſubdit:*

„ *Obiit*

„ *Obiit hic anno* 1326. *& ſucceſſit Gerbrandus &c.* " *prout mox in ſucceſſore hujus* Henrici *adducemus.*]

XVII. Gerbrandus, qui etiam Gerlandus. 1326. Iſte fuit baculo paſtorali privatus ſine cauſa a Joanne Diſthenſi, & appellavit Archiepiſcopum. [*Nempe: Colonienſem, metropolitam. Eſt rurſus unde credam hæc ex Matthæo deſumpta eſſe. En verba, quæ ad præcedentem* Henricum *in Catalogo ſuo appoſuit:* „ Succeſſit Gerbrandus, ſeu Gerlandus, ut „ eum vocat Wilhelmus Procurator ad ann. 1326. Quem „ baculo paſtorali privavit ſine cauſa Joannes van Dieſt „ epiſcopus Trajectenſis, ut Wilhelmus Procurator ait ad „ ann. 1330. Impatiens autem injuriæ quum Archiepiſcopum „ appellaſſet, ſufficitur interim in ejus locum Joannes qui- „ dam de Colonia. " *Juvat audire Wilhelmum ad d. an.* 1330. *Analect. tom.* 2. *p.* 704. „ Inter maxima hujus temporis me- „ morabilia lucide numerari poterit, Prælato ſine cauſa di- „ gnitatis conſueta ſubtrahi, nec non abſque juris ordine ejus- „ dem officio ſpoliari, velut ad præſens Abbas videlicet „ Sancti Pauli Trajectenſis, qui proprio conventu hactenus „ quaſi deſpectiſſime regitur, & per *Joannem* Pontificem „ abjicitur, anuloque privatur. " *Verba minime perſpicua. Quibus ſubjicit ea, quæ auctor noſter ad pone ſubſequentem Abbatem adducit. Difficile intellectu eſt quod ait, Gierlandum depoſitum fuiſſe* ſine cauſa, *de quo, cùm ſupra ageret de Henrico Abbate XVI. dixit, eum ad Abbatialem dignitatem* in diſcordia, *&* ſpiritu non ſancto tractum *fuiſſe: hominem* ſibi non ſatis ſufficientem, *multo minus aptum qui præeſſet. Id enim videor mihi intelligere & verbis ejus non magis concinnis, quam ſuperius allegata, & quæ ſunt loc. cit. p.* 644. *ad quæ non advertit Matthæus, nec auctor noſter:* „ Hujus vicino tempore vir per „ cuncta laudabilis Abbas videlicet Sancti Pauli cœnobii „ Trajectenſis *Henricus* nomine de medio tollitur, * pro „ cujus ſucceſſione diſputationis materia ventilatur. Cum „ autem in electione Capituli diſſenſio crebreſceret, alius „ quoque alium poſtularet, quidam *Gierlandus*, ſpiritu uti- „ nam Sancto ad ſedem trahitur, cujus tamen pridem me- „ moriam perire cum ſonitu putabatur. Is quoque per diſ- „ cordiam

* Hæc non eſſe intelligenda de morte violenta, patet ex antecedentibus.

„ cordiam multis præeſſe ſtatuitur, ſibi vix hactenus ſuffi-
„ ciens, ubi regularis ſubjectio poſtulatur. “ *Potuit igitur Joannes Epiſcopus cauſam habuiſſe, ob quam Gerlandum Abbatem loco moverit, ſed hanc ignoramus, ſi tamen ſubfuit. Beka & Heda hac de re nihil.*]

XVIII. Jacobus *de* Colonia. Wilhelm. ad ann. 1330. *Ad cujus ſedem mille librarum penſione promiſſa* Jacobus *quidam* de Colonia *trahitur.* Gherlandus *verò appellationem proſequens verſus Coloniam tendere perhibetur, illic ſui ſanguinis incitando nobiles Archiepiſcopum pro ipſius ſuffragio ſupplicantes.* Wilhelm. ad ann. 1332. *Eodem anno* Jacobus de Colonia, *qui* Gerlando *depulſo ſupra ad Sancti Pauli Abbatiam apud Trajectum trahitur, 3. Kal. April. apud ſacrum montem* (à) *quodam juvene cauſâ equi occiditur, qui juvenis* Helyas de Woudenberch *appellatur.* [*Hæc omnia in Matthæi Catalogo ſunt. Priora verba ex Analect. tom. 2. p. 704. poſteriora pag. 717.*]

XIX. Hermannus *de* Wolf. ann. 1339. 1343. 1345. [*Addit Matthæus, quod Jutfaſiorum ſigillo uſus ſit dicto anno* 1339. *Occurrit in inſigni Charta anni* 1343. *in qua* Joanne de Arckel, *Epiſcopo Trajectenſi præſente, decernitur, Epiſcopum Eccleſiæ ſeu Capitulo Trajectenſi certo modo ſubeſſe & ab eo coerceri poſſe. Vide Tract. de Nob. p. 615. & 616.*]

XX. Henricus van Boechout. 1347. 1349. 1352. 7 Sept. [*Conſonat Matthæus.*]

XXI. Johannes van Oeye. 1358. 1360. 1361. 1364. [*Matth.* Van Oyen, *qui adſcribit quoque annos* 1373. & 1377.]

XXII. Johannes Eem. 1366. [*Hic abeſt a Catalogo Matthæi quare* Joanni Van Oeye *demendi ſunt anni* 1373. & 1377. *Heuſſenius eum reperit ad eumdem annum quem notat auctor noſter, & id ita adſcripſit ad oram pag. 96. in Hiſt. Epiſc. Ultraj. & tamen ei in Catalogo ſuo locum non fecit. Habebat tamen unde ei daret, nam in decurſu hiſtoriæ ſuæ, docens pag.* 353. *col.* 2. *Abbatem S. Pauli fuiſſe patronum ſeu collatorem eccleſiæ parochialis S. Laurentii in oppido Roterodamenſi, adfert diploma Abbatis conſentientis in erectionem altaris ſeu Capellaniæ in dicta parochiali, quod incipit his verbis:* „ Joan-
„ nes *de* Eem, Abbas Monaſterii Sancti Pauli Trajectenſis,
„ Ordinis Sancti Benedicti, univerſis tam præſentibus, quam
„ futuris &c. . . Datum Anno Dom. 1366. menſis Maji die 4. “]

XXIII. Hen-

XXIII. Henricus van Ryn. 1380. Iſte dedit *Wilhelmo* de Juliaco Duci Gelriæ in beneficium judicia de *Linden* & *Driel*. 1382. 1387. [*Apud. Matthæum occurrit ſimplex nomen Abbatis, prout reliquorum omnium, adjectis duobus annis poſterioribus.*]

XXIV. Henricus van Poelwyck. 1401. 1403. Iſte dedit *Reynoldo* Duci Gelriæ in beneficium judicia de *Linden* & *Driel*. 1405. 1406. [*Nomen & annos eosdem exprimit Matthæus.*]

XXV. Arnoldus Wilhelmi. 1408. 1410. 1412. 1417. [*Matthæus ſcribit, Arnoldus Abbas,* Arent Willemſen *alibi. Et eosdem adſcribit annos. Ego puto, non niſi priores duos illi tribuendos, aut certe annum dumtaxat* 1411. *Eſt namque apud Matthæum de Jur. Glad. pag.* 438. *Charta data 6 Junii* 1412. *in qua* „ piæ memoriæ Dominus Arnoldus dum „ vitam duxit in humanis permiſſione Divina Abbas mona- „ ſterii Sancti Pauli Trajectenſis &c. "]

XXVI. Gerardus van Damassche. 1421. 1422. 1427. *Hic ſcribitur de Jur. Glad. p.* 442. *Succeſſor* Arnoldi, *cui proinde annum* 1412. *& ſeqq. recte dabis. Et citantur ibid. in marg. ejus Literæ anni* 1423. *poſt Dominicam Trinitatis.*]

XXVII. Wilhelmus van Heuckelum. 1435. [*Matthæus addit annos.* 1439. 1450. 1451. *Duo poſteriores anni videntur expungendi, uti mox apparebit.*]

XXVIII. Arnoldus *de* Poelwyck. 1440. [*Unde habeat non ſcio. Verùm adeſt mihi luculentiſſima probatio, dicto anno* 1440. *Abbatem S. Pauli* Arnoldum *fuiſſe appellatum, non* Wilhelmum, *ex Charta, quam Matthæus ipſe dedit ad Rer. Amersf. auctorem incertum pag.* 202. *quæ habet hoc exordium:* Aernt by der onthenckeniſſe Gods Abt tot St. Pauls t'Utrecht doen kont allen luyden, dat voor ons quam ende voor onſe mannen, die hier na beſchreven ſtaen, Adam van Lochorſt &c. .... Gegheven in t'jaer ons Heeren *duſent vier hondert ende veertich des Saterdachs na St. Margrieten dach.* Hunc Matthæus omiſit.]

XXIX. Jacobus van Poelgeest. 1452. 1457. [*Anno* 1458. *fit Abbas Egmondanus, de quo ita habet Joan. a Leidis Annal. Egmund. cap.* 81. „ Mortuo Domino Wilhelmo de „ Matthenes Abbate (*obiit* 19. *Maji* 1458.) Jacobus de Poel- „ geeſt Abbas S. Pauli in Trajecto per præſentiam (in alio

„ cod.

„ cod. *potentiam*) Philippi Ducis & quorumdam monacho-
„ rum electionem, factus eſt trigeſimus primus Abbas Hæc-
„ mundenſis. Hic prius fuit Canonicus regularis & Prior
„ in Arena Comitis, antequam Ordinem S. Benedicti intra-
„ vit. " *Porro ſex annis præfuit & obiit* 4. *Auguſti* 1464. *Huic interim ſucceſſit*]

XXX. Johannes Glauwaert. 1459..1463. 1470. Iſte dedit *Adolpho* Duci Gelriæ in beneficium judicia de *Linden* & *Driel.* 1483. [*Matthæus ſcribit:* Clauwert. *De feudo autem nihil in Catalogo.*]

XXXI. Jacobus van der Steeg. 1486. 1492. Iſte dedit Carolo Duci Gelriæ in beneficium. [*Matthæus adjicit annum* 1493. *Hujus fit mentio apud Jo. a Leidis cap.* 90. *pag.* 130. *ubi de tentata anno* 1491. *reformatione Abbatiæ Egmundanæ, imperatâ ab Innocentio PP. VIII. & impeditâ ab Archiduce Philippo pulchro, malis artibus circumvento.*]

XXXII. Arnoldus. 1499. [*Nec plura. Etiam Matthæus breviter.* Arnoldus Abbas S. Pauli. 1499.]

XXXIII. Wilhelmus van Nykerken. 1502 1510.

XXXIV. Matthæus van Goch. 1532. Iſte ceſſit *Carolo* Geldrenſi Judicia ſupradicta. Obiit 16 Febr. 1536. [*Obitum ſignat Matthæus ipſiſſimis verbis.*]

XXXV. Gerardus Elberti eligitur Martii 4. 1536. Iſte erat Cellerarius. [*Matthæus de electione non meminit* in Catalogo, ſed de illa habet multa, quæ nihil ad nos, in Fund. & Fatis Eccleſ. a pag. 210.

XXXVI. Gerardus van Nykerk. 1556. 1560. Iſte dedit *Philippo* Regi Duci Gelriæ beneficium. [*Matthæus hæc non addit. Suſpicor hæc, & quæ de juriſdictione in* Linden & Driel *dicuntur ad Abbates* XXIII. XXIV. XXX. XXXI. XXXIV. & XXXVI. *deſumpta eſſe ex* Rationum Codice Ducatus Gelriæ, *quem dedit Matthæus de Nobil. pag.* 414. *Si rem acu tango, næ auctor noſter, quisquis ille eſt, egregie ineptiit. Non capio ego quidem, quid conferat, quid juvet, alienis fulgere coloribus, ſerius aut citius auferendis.*

XXXVII. Gerardus van Mierlo. 1574. [*Ita quoque ſ june Matthæus. Hunc porro Catalogum, quamvis Matthæi Catalogo ampliorem, integrum eſſe non affirmo.*]

GISBER-

G I S B E R T I
LAPPII A WAVEREN JC.

D I S Q U I S I T I O

DE JURE DITIONIS AMSTELII

E X A U T O G R A P H O

QUOD ASSERVATUR IN ARCHIVO

COLLEGII HOLLANDICI

L O V A N I I.

A E M S T E L.

C U J U S J U R I S? (1)

Dat Amſterlant geweeſt is een leen vān Biſſchop van Utrecht is notoir, gepoſſideert by het geſlacht daer van den naeme voerende, dewelcke toegenaemt van Amſtelle, altydt Miniſterialen ende Vaſallen ende onderſaten geweeſt ſyn van 't Sticht:

G*Odefredus* Dei Gratia Trajectenſis humilis Antiſtes &c. inter quæ incommoda unum erat non minimum, quod Eggebertus de Ameſtella Eccleſiæ Sti. Martini & mihi intolerabiles injurias intulit, omne ſervitium quod ipſa Eccleſia de jure debuit habere in Ameſtella & in aliis juſtitiis in circuitu per violentiam ſibi vendicando & uſurpando &c. . . . . . . Ea in manus meas libere reſignavit; quæ in officium villicationis a me recepit, cum tali determinatione, ut poſt mortem ipſius unus tantum filiorum, Giſelbertus videlicet, ejuſdem villicationis officium de manu Epiſcopali jure conſueto requiſitum obtineret.

Cæte-

(1) Dominium *Amſtelii* uſurparunt Comites Hollandiæ, fruſtra reclamantibus Epiſcopis. Repetiit illud *Henricus Bavarus* in Conventu Schoonhoviano Ann. 1525. ubi ſic: *In den eerſten eyſcht myn Genadige Heere van Utrecht &c. . . . , . . Item dat die Heerlicheyd van Amſtel een Stichts leen was, ende daer van behoorde te leen gehouden te worden.* Arn. Buchelius apud A. Matth. in Syllog. Epiſt. Alciati aliorumq. p. 247. 248. nov. Edit. in 4.

Cætera Diplomatis verba habes fol. 175. apud Hædam noſtræ editionis. Epiſcopus Godefredus cum annis 22. Eccleſiæ præfuiſſet, obdormivit a°. 1178.

Giſelbertus de Aemſtel ſub omnium bonorum ſuorum ſtipulata cautione fideliter promittit, quod adverſus Epiſcopum Trajectenſem & Comitem Hollandiæ nunquam rebellionem attentare præſumeret. Vide fol. 98. Becæ editionis noſtræ.

Verba compoſitionis by Grave Guido van Vlaenderen tuſſchen den Biſſchop van Utrecht en Grave Floris van Holland, mitsgaders die van Amſtelle, aldus luydende:

ORdinamus etiam quod D. Giſelbertus de Amſtelle & Giſelbertus de Ghoye cum amicis ſuis uſque ad v.c
(500.) diſcalceati & in laneis veniant ad eccleſiam B. Martini in Trajecto, ad diem Dominicam proxime ſubſequentem & flexis genibus veniam & miſericordiam ab ipſo petant humiliter de commiſſis; & quod D. Epiſcopus amicabiliter eos recipiat, & forefacta, quæ commiſerunt, miſericorditer condonet eiſdem.

[Forefacta, forfaits, miſdaden]

Debent etiam jurare dicti G. & G. quod de cætero Eccleſiæ Trajectenſi vel Domino Epiſcopo injuſte nullatenus ſe opponent, ſed ei tamquam Domino ſuo de cætero ſervient bona fide. In dato M. CC. LVII.

Hermannus de Woerden Giſelbertum de Aemſtel ſecum attraxit in conſpirationem adverſus Comitem Florentium, cujus etiam conſcius erat Gerardus Velſenus; qui Comitem confecit. a°. 1296. fol. 99. & 100. Becæ.

Joannes Florentii filius Comes Hollandiæ anno M. CC. XCIX. apud Harlem requievit in Domino, poſtquam Hollandiam rexiſſet tribus annis cum dimidio.

Poſt

Poſt hujus Joannis mortem, Giſelbertus de Amſtel oppidum ſuum ligneis pontibus & turritis propugnaculis undecunque munivit. Sed vulgus Waterlandiæ cum oppidanis de Harlem profugato Giſelberto, pontes & munitiones favillatenus inflammavit. Beca fol. 102.

Exinde Johannes Comes Hannonienſis Hollandiæ Comes effectus ſtatim dominia de Aemſtel & de Woerden Guidoni fratri ſuo largitus eſt. Beca fol. 102. Ibi opportune notat Buchellius fol. 104. *Fratri ſuo largitus eſt* : Nec tamen de ſuo: nam erant, abſque controverſia, Eccleſiæ Trajectenſis. Et licet eorum dominiorum Vaſalli & poſſeſſores peccaſſent in Comitem Hollandiæ, non tamen feuda quæ erant Epiſcopi, in jus Hollandiæ tranſire poterant ſed ad Dominum directum reverti debebant, quod ii qui vel parum in jure beneficiario verſati ſunt, facilè intelligunt. Sed hic fuit omni tempore potentiorum mos, ut armis magis quam legibus valerent, & Chartæ imbecilliores fere gladiis cederent.

In Matthiæ vander Hoeve Advocaets in 's Gravenhage Epitome Msta. Ordonnantien, Privilegien, Edicten &c. 1521.

Item brieff, waer by Johannes Graeff van Henegouwe en̄ Holland geeft Heer Guido van Henegouwe die goederen die toe te hooren plagen Harman van Woerden, Gyſebrecht van Iſelſteyn, Gyſebrecht van Aemſtel, Arnout van Benſchop, ende allen anderen die raet en daet gegeven hebben tot vermoorden van wylen Graeff Floris, de dato 1300.

In de Archiven van Holland bewaert tot Queſnoy in Henegouwe, wort gevonden Brieve van Heer Guido van Henegouwe, roerende hoe hy bekent des Biſſchops man van Utrecht te weſen op de goederen van Aemſtel en̄ van Woerden a°. 1300.

In de zelfde Archiven tot Queſnoy Brieff daer by Guido Biſſchop t'Utrecht bekent, dat de goederen van Aemſtel en Woerden, die zyn Broeder Jan van Aveſnes, Grave van Henegouwe, Holland &c. hem gegeven hadde maer ſtonden tot wederzeggen.

Beka fol. 109. Hiſtoriæ Epiſcoporum Ultrajectenſium, Wilhelmus Hollandiæ Comes defuncto patruo ſuo [Guidone Epiſcopo aº. 1317.] Dominia de Aemſtel & de Woerden *ditioni ſuæ ſubegit, in quibus ex parte ſua* Balivum ſive Villicum deputavit, aſſerens quod eadem dominia ſæpe dicto Pontifici pro patrimonio fuerunt aſſignata, *ſed* propter transgreſſionem arbitrii forent ad Comitatum Hollandiæ devoluta. *Ditioni ſuæ ſubegit.*

Meus MS. Codex in pergamento ſcribit non (ſed) at q̄. quod ego interpretor(quæ).

Advocatus Buchellius ad hunc Joannis de Beka locum fol. III. diſerte annotavit, quod hinc multa inter Antiſtites Ultrajectinos & Comites Hollandiæ diſſidia atque bella exorta ſint, quod hæc (etiam Guilhelmo Hæda teſte) eſſent Eccleſiæ Ultrajectinæ. Exſtant quidem contractus oppignorationis aliorumque gravaminum horum bonorum inter Comites & Epiſcopos initi, ſed ſupremum jus ſemper eccleſiæ abſque controverſia remanſit; etiam in iis pacis legibus, ad quas inviti & quaſi coacti Antiſtites deſcenderunt, ut cum anno 1356. inter Johannem Arkelium Epiſcopum & Wilhelmum Comitem convenit, ut Epiſcopus clientelari jure Comiti confirmaret bona de Aemſtel, Woerden & Kuic, quæ magna ex parte cauſam belli præbuerant. Et Hæda fol. 245. *Subſecuta eſt pax inter Epiſcopum & Comitem* Vidit Buchellius & Ego Lappius Conditiones originales memoratæ pacis deſcriptas, in quibus Comes Hollandiæ profitetur, bona de Aemſtel, Woerden & Cuch ab Antiſtite Ultrajectino poſthæc clientelari beneficio ſe poſſeſſurum.

Supra

Supra ad verba ſubvirgulata. *In quibus ex parte ſua*; memoratur anno 1345. Florentius de Boechorſt miles (Ridder) Balivus magnifici Principis Domini Comitis Hollandiæ in terra Amſtelredamenſi, in Waterlandia. In teſtimoniis locum ſacrum Amſterdami ſpectantibus. Is Comes eâ ætate erat Wilhelmus quartus Hannonicus & Hollandus, quia aº. ſequenti, octavo Cal. octob. a Friſiis juxta Staveram interfectus fuit: cujus monumentum & epitaphium Valentianis in Hannoniâ in Eccleſia Sti. Franciſci legitur, relatum ab Henrico D. Outremanno parte III. cap. VIII. Hiſtoriæ Valentianarum.

Ex his quæ adduxi Magnifice Domine Mari, (2) ſufficienter a me puto ſatisfactum quæſtioni tuæ; quam in menſali diſcurſu aliquoties moviſti; Cui ego tum ex tempore minus copioſe reſpondi. Omnium enim meminiſſe non humanitatis, ſed Divinitatis quoddam eſt opus, ut Imperator noſter loquitur. Reſumptam autem quæſtionem domi meæ Ultrajecti

(2) *Magnif. Domine Mari*) Quis ille? An *Leonardus Marius*, Goeſanus-Zelandus? Non eſt unde id omnino affirmem. Sed reperi hanc *Lappii* diſquiſitionem inter chartaceam *Leonardi* molem, quæ univerſa poſt ejus mortem in Collegium Hollandicum illata fuit, cujus præcipua pars ſunt inediti Commentarii in univerſam Sacram Scripturam, (ſolo Pentateucho excuſo) qui viginti forte conſtituunt ſpiſſa volumina in fol. mss. Inter hæc, inquam, ſcripta reperi hanc *Lappii* lucubrationem; quæ cùm ſit autographa, & ad *Marium* unum directa, videtur ad *Leonardum* noſtrum miſſa fuiſſe: quamvis non legam apud *Valerium Andream in Biblioth. Belgica*, aut apud *Caſparum Burmannum in Trajecto erudito*, vel apud *Petrum de la Rue in literata Zelandia* vernacula, quod *Lappium* inter & *Leonardum Marium* literarium commercium fuerit. Fateor libenter, me plura haud ſcire.

trajecti in hanc reſponſi formam redegi, qua Magnificentiæ tuæ plene ſatisfactum eſſe non diffido. Alia in hanc rem monumenta mihi nunquam ſunt oblata; Itaque his acquieſcat, ac Servitorem Magnificentia tua agnoſcat me

GISB. LAPP. A WAVEREN JC.

NECRO-

NECROLOGIUM

ECCLESIÆ BEATÆ MARIÆ SEMPER VIRGINIS

OPIDI DE BREDA

LEODIENSIS DIOCESIS.

(NUNC ANTVERPIENSIS)

Ex manuſcripto membranaceo in folio apud Editorem.

PRÆFATIO
AD
NECROLOGIUM BREDANUM.

Quod hic de Oppido Bredano, & de Capitulo B. M. ibidem fundato, præmittendum eſſet, accurate ſimul & abunde præſtitit auctor *Hiſtoriæ Epiſcopatus Antverpienſis*, typis Bruxellenſibus in lucem emiſſæ anno 1717. Capite 12. ubi exhibetur diploma fundationis deſumptum ex Miræo tom. 1. pag. 444. Proinde, ne actum agamus, eo remittimus lectorem. *Antiquitates Bredanas* male digeſtas edidit J. B. Grammaye. Vide novam editionem anni 1708. in fol.

Fundator eſt Jacobus presbyter, parochus de Ghilſe, & Decanus Capituli Hilvaribecani, dioceſis tunc Leodienſis, nunc Sylvæducenſis. Cognomen illi Consey, uti in notis ad *Necrologium* oſtendam. Inſtituit autem ſeptem ipſe præbendas de bonis ſuis, octavam *Hugo de Merterſſem*. Voluit horum octo Canonicorum tres eſſe Presbyteros; tres Diaconos & duos Subdiaconos. Duas Capellanias in eadem eccleſia olim fundatas, voluit poſt ceſſum aut deceſſum poſſeſſorum quatuor fieri præbendas, unde numerus Canonicorum ad duodenarium numerum excreſceret. Hoc ultimum de conſenſu *Raſonis* de Gavere, Domini de Lidekercke, qui ex conjugio cum *Alide* vel *Alicia* Bredæ Domina, harum Capellaniarum ac ipſius parochialis Eccleſiæ patronus exiſtebat. Parochum ſtatuit eſſe Canonicum decimum tertium, qui curam reciperet a Decano Capituli. Qui Decanus e gremio Capituli per Canonicos eligendus eſſet, ab Epiſcopo Leōdienſi confirmandus. Primum vero Decanum elegit ipſe & ſeptem primos Canonicos, probante ac confirmante hanc fundationem *Theobaldo* Leodienſi Epiſcopo anno 1303. Anno 1388. *Joannes* de Polanen ſenior, Dominus de Lecka & Breda fundavit decimam quartam præbendam. Tabulas dedit Miræus Dipl. tom. 1. p. 784.

Auctor Hiſtoriæ Epiſc. Antverp. pag. 136. ſcribit, quod *Raſo de Gavera Bredæ Dominus hanc fundationem notabiliter adauxerit*, quod mihi nullibi occurrit, niſi intelligi velit de duabus Capellaniis, ac de Curati ſeu parochi redditibus in præbendas converſis. Tum ſubdit: *Quo factum eſſe creditur, ut omnium præbendarum collatio ad Principes Naſſovios pervenerit.* Non videtur attente legiſſe tabulas fundationis. Id namque factum eſt ex voluntate fundatoris. En verba: *Collatio vero præbendarum prædictarum* OMNIUM *ſpectabit ad Dominum de Breda, patronum dictæ Eccleſiæ.* Cùm primum Principes Naſſovii Bredæ Domini effecti ſunt, harum præbendarum jus patronatus ſunt conſecuti. Et decimæ quartæ prebendæ collationem *Joannes* de Polanen diſertis verbis *ſibi & ſuis ſucceſſoribus Dominis de Breda perpetuo reſervavit*, apud Miræum cit.

Anno 1505. inita eſt confœderatio ſeptem Capitulorum diocefis Leodienſis pro conſervatione exemptionum, conſuetudinum, libertatum, univerſorumque jurium ſuorum *contra quoſcumque Eccleſiaſticos atque ſeculares, quacumque auctoritate aut dignitate, etiam pontificali, fulgentes, eos injuſte ſeu de facto moleſtantes, opprimentes, ſeu opprimere volentes.* Et in hanc rem commune erexerunt ærarium hæc Capitula Eccleſiarum videlicet S. Joannis Evangeliſtæ Sylvæducenſis, B. Mariæ Virginis Bredæ, S. Petri in Hilvaribeka, S. Petri Oirſchotenſis, S. Odæ Rodenſis, S. Catharinæ Eyndovienſis, & S. Petri Boxtellenſis. Hæc confœderatio renovata fuit anno 1563. Utriuſque tabulas habes in Miræi Dipl. tom. 3. a pag. 222.

Stetit hoc Capitulum uſque ad annum 1637. quando occupata a Fœderatis Belgii Ordinibus Breda, eccleſiaſtici ſimul omnes ac religioſi viri dimiſſi ſunt, proſcripto cultu Catholico.

Atque hæc ad Necrologii noſtri intelligentiam ſufficiant. Addo ſeriem Decanorum correctiorem ea, quam pro nova editione Miræi ante hos octo annos paraveram.

DECANI

DECANI BREDANI.

I. HEnricus de Grusere, a fundatore aſſumptus. In priore Catalogo apud Miræum tom. 3. pag. 490. dicitur, *antea Decanus Bekenſis*. Id porro delendum eſt. Erat Inveſtitus ſeu Plebanus de Ghilſe. V. ipſas tabulas fundationis citatas.

II. Iheronimus dictus Boiaert. Hunc præterii in Catalogo priore. Occurrit in *Necrologio*. Vide ad calcem menſis Januarii.

III. Bonefacius. Anno incerto. Obiit 26. Octobris in *Necrologio*.

IV. Johannes van den Venne. Incerto rurſus anno. Obiit 24. Octobris in *Necrologio*.

V. Zettebertus de Beke, obiit 15. Auguſti 1340. in *Necrologio*.

VI. Reynerus de Valle, quem Sanderi fide adferimus, qui in Chorographia Sacra Brabantiæ tom. 2. pag. 19. noviſſ. edit. ita ſcribit de Cœnobio B. Mariæ de Viridi Valle: „ Venerabili Viro Domino *Franconi* ſecundus in Præpoſitura „ ſucceſſit eodem anno (1386) antedicto, Dominus Reynerus de Valle. Hic *Eccleſiæ Bredanæ* exiſtens Ca- „ nonicus, ac collegii ſui *Decanatus* fulgens dignitate, ſe- „ ptimus in hac Valle regularem profeſſus eſt obſervantiam: „ in qua omni virtutum exercitio excultus. . . . annis tribus „ & viginti familiæ ſibi creditæ, rara laude, tenuit clavum. „ Obiit 1401. Quinta Januarii. “

VII. Egidius de Rivo, obiit 20. Novembris 1398. in *Necrologio*.

VIII. Wilhelmus Fortis, aliàs *Starck*, obiit 3. Auguſti 1401. in *Necrologio*.

IX. Hugo. In priore Catalogo nullum illi annum adſcripſi. Vixit menſe Aprili anno 1437. in Chronico apud Matthæum Analect. tom. 1. pag. 55. Obiit 8. Octobris, non addito anno. In *Necrologio*.

X. Henricus de Bye, obiit 23. Novembris 1461. In *Necrologio*.

XI. Raso Voecht, inter incerti temporis Decanos col-

locatus in priore catalogo, repertus eſt obiiſſe 21. Martii 1492. In *Necrologio.*

XII. Carolus Oudaert, præerat anno 1499. uti eſt poſt *Necrologium* in fundatione Feſti de Venerabili Sacramento. Obiit 17. Januarii 2522. in *Necrologio.*

XIII. Guilielmus de Gaellen obiit 29. Auguſti 1539. in *Necrologio.*

XIV. Jheronymus du Blioul, J. U. D. & Profeſſor in Academia Lovanienſi, obiit 22. Aprilis 1556. in *Necrologio.*

XV. Balthazar Maschereel filius Seneſcalli Territorii Bredani, obiit 8. Junii 1559. in *Necrologio.*

XVI. Antonius Vaillant, obiit 14. Februarii 1570. in *Necrologio.*

XVII. Gerardus Vlemincx. obiit 26. Martii in *Necrologio*, non adſcripto anno obitus. In priore Catalogo additur: *Burſarum aliquot in Academia Lovanienſi fundator, obiit anno* 1591.

XVIII. Cornelius Wortzel, mihi non repertus eſt. Clariſſ. Collega J. F. Foppens priori Catalogo eum ſuperaddidit. Fuit Sacræ Theologiæ Licentiatus, & e Decanatu ſuo pulſus, evaſit Plebanus ad S. Gudulam Bruxellis anno 1607.

XIX. David a Mauden, Antverpienſis, J. U. L. olim Canonicus Graduatus Daventrienſis, vir doctus ac ſcriptis clarus. Ejus tempore prorſus exſtinctum, ſuppreſſumque fuit Capitulum Bredanum. Ipſe vero Bruxellis parochus Eccleſiæ B. M. V. de Capella obiit anno 1641. Ita fere Clar. Foppens.

Decanis ſubjicio *Curatos*, ſeu *parochos* Bredanos, quandoque *Plebano's* vocatos, qui ſimul Canonici erant: non omnes, ſed illos dumtaxat, qui in *Necrologio* noſtro reperiuntur.

Martinus Florencii obiit 23. Februarii anno incomperto.

Cornelius Hey obiit 10. Novembris anno quoque incerto.

Joannes Leckerkerck obiit 26. Januarii 1470.

Wilhelmus Alfinus Canonicus & paſtor obiit 1. Junii 1494.

Joannes de Naſſou Canonicus & Plebanus obiit 3. Martii 1505.

Wilhelmus Haghen obiit 10. Aprilis 1535.

JANUA-

JANUARIUS.

			PRæſentia in quatuor horis X Rg. fundata ab heredibus Dni. Henrici Corput Canonici.	X Rgl.
I.	A.		CIRCUMCISIO DOMINI.	
			Obitus Godefridi de Niſpen ſextarium Siliginis. anno 1452.	iiij. vert. rogh.
			Obitus dni. Walteri Strick. Capitulo fertellum ſiliginis. anno 1464.	j. Vert. rogh.
			Obitus dni. Cornelii Grymer. qui dedit Capitulo librum ſermocinarium.	
			Dni. Henrici Corput Canonici XVI. ſt. Cap. VIII. ſt. an. 1537.	xvj. ſtuf.
			Domicellæ Joannæ Roevers uxoris Henrici Montens quondam receptoris de Breda. Fertellum ſiliginis.	j. Vert. rogh.
II.	B.		Obitus dni. Johannis Clerici Curati in Rysberghen. (1) Capitulo x ſtuf. & Capellanis x ſtuf. anno 1475.	x ſtuf.
			Obitus Agathe uxoris quondam Petri Viſſchers. Fertellum ſiliginis. Capellanis II Cop. anno 1476.	j. Vert. rogh.
III.	C.	*a.*	Obitus Arnoldi Snoye & Eliſabeth uxoris ſuæ VI- gr. vet.	xi. ſtuf. ij. ort.
IV.	D.			
V.	E.		EPYPHANIA DNI.	
VI.	F.		Obitus Gregorii de Weert. IV. gr. vet. metim. (2) An. 1528. III. ſtuf. II. ort pro Capitulo.	iij. ſtuf. ij. ort.

Præ-

(1) *Rysbergen*) Vicus ſeu pagus uno ab oppido milliari, ſub Decanatu Bredano, cujus Eccleſiæ patronus eſt Abbas S. Bavonis, nunc Epiſcopus, Gandavenſis.

(2) *Metim.*) mediatim, id eſt, æqualiter inter Canonicos & Capel-

			Præſentia in quatuor principa-	
			lioribus horis fundata per dnm.	
			Theodricum de Mera Capella-	
			num III. Rg. IV. ſtuf. inde ha-	
			bet Decanus duplum.	
			Magiſtri Ægidii Brivincx Ca-	
			pellani XIV. ſtuf. equaliter 1566.	vij. ſtuf.
VII.	G.		Obitus dni. Engelberti de Fi-	
VIII.	A.	*a.*	ne presbyteri. XVIII. Turn. Facit	
			II. ſt.	ij. ſtuf.
		a.	Obitus Gertrudis uxoris Wal-	
			teri Calwardi. II. gr. vet.	iij ʒ. ſtuf.
			Obitus D. Johannis Back Ca-	
			pellani. x ſtuf.	x. ſtuf.
IX.	B.	*a.*	Obitus Henrici Boykens &	
			Margaretæ uxoris ejus, & En-	
			gelbertæ filiæ eorum. XII. gr.	j. ſtuf.
			pag. metim.	j. ort.
X.	C.	*a.*	Commemoratio dni. Arnoldi	
			de Meldert. IV. ſtuf.	iiij. ſtuf.
			Commemoratio dni. Wilhelmi	
			Fortis Decani x. ſtuf. turn. metim.	vj ʒ. ſtuf.
XI.	D.		Obitus Ode uxoris Stephani	
			Heys mediam coronam Francie	v. ſtuf.
			(1) mediatim anno 1428.	iij. ort.
XII.	E.		Obitus dni. Johannis de Niſ-	
			pen Capellani. Capitulo x ſtuf.	
			Capellanis x ſtuf. anno 1502.	x. ſtuf.
XIII.	F.		*Octava Epyphaniæ dni.* IX. *lectio-*	
			num.	
XIV.	G.		Obitus Hugemanni de Gagel-	
			donck (2) IX. gr. vet. Capella-	xv. ſtuf.
			nis XV. gr. pag.	iij. ort.

Obi-

Capellanos dividendi: ſcilicet, *groſſi veteres.* Porro quæ continuo occurrunt hæ notæ: *gr. pag.* ſignificant *groſſos pagamenti*, minoris valoris, quam *groſſi veteres.*

(1) *Corona Franciæ* valebit viginti quatuor ſtuferos, uti notatur in Necrologio Geervlitano.

(2) *Gageldonck*) Plures hujus nominis viri ac mulieres occurrunt

			Obitus Henrici Goylieven xvii. ſtuf. i. ort. metim.	
XV.	A.		*Feſtum de nomine Jheſu. duplex.*	
			Diſtributiones in quatuor horis pro Capitulo II. Rg. x ſtuf. & pro Capellanis xvi. Require in fine libri.	ij. Rgl. xi. ſtuf.
		a.	Commemoratio dni. Henrici Gruſers (1) Decani Bekenſis. ix gr. vet. Capellanis iii. gr. vet.	xv. ſtuf. iij. ort.
			Obitus Clariſſe Beghine. (2) I. lop. ſilig.	j. lopen rogs.

Obicurrunt in hoc Necrologio. Et omnes nobiles. 19. hujus menſis: *Obitus Dni Johannis de Gageldonck militis.* 31. Auguſti: *Obitus Dni Petri de Gageldonck militis.* Vide 16 Jan. 17 Aprilis. 3 Julii. 3 Auguſti. 26 Septembr. 26 Novembr. & 5 Decembr. *Sophia de Gageldunck* uxor nobilis viri Gilberti de Campenhout, *Hugo de Gageldunck*, ejuſque ſoror *Beatrix*, uxor Andreæ de Mallant militis, benefecerunt monaſterio Tongerloënſi. Chartas dedit Miræus Dipl. tom. 1. pag. 584. & 762.

(1) *Henrici Gruſers Decani Bekenſis.*) Non Bredani capituli, quamvis *Henricus Gruſers* vel *Gruſere* primus hujus noſtri capituli Decanus fuerit. Hi duo Henrici ſunt fratres. Fundator enim *Jacobus Conſey*, ad Capitulum Bredanum a ſe erectum aſſumpſit ſequentes viros, apud Miræum Dipl. tom. 1. pag. 446.

D. Henricum Gruſere, Decanum.
D. Henricum dictum Gruſere, ejus fratrem.
D. Winricum de Eycke.
D. Hugonem prædictum (*cognomento* de Merterſem *ut eſt in tabulis fundationis cit. p.* 444.) Presbyteros.
Walterum & Jacobum } filios Johannis de Byen.
Et Joannem filium Wiconis de Camera.

